948356
BIBLIOTHECA UNIV. JAGELL. CRACOVIENSIS
Mag. St. Dr. IV

~~Nr 4602 - 2 Tomy.~~

Dla Gab. Archeol. Uniw. Jagiell.
nabytem w Wilnie 1881 r.
K. Przezdziecki

№ 7279.



948356 IV
Mag. St. Dr.

Scat: 96.

2015
II

ROMANUM
MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS

IN QUO PROPONUNTUR, AC DILUCIDANTUR

Gemmæ, Idola, Insignia Sacerdotalia, Instrumenta Sacrificiis
inservientia, Lucernæ, Vasa, Bullæ, Armillæ, Fibulæ,
Claves, Annuli, Tesseræ, Styli, Strigiles, Gutti,
Phialæ lacrymatoriæ, Instrumenta Musica,
Vota, Signa Militaria, Marmora &c.

Adjectis in hac tertia Romana Editione plurimis annotationibus, & figuris;

OPERA, ET STUDIO

MICHAELIS ANGELI CAUSEI
DE LA CHAUSSE.

TOMUS SECUNDUS.

Ex antiqua pictura Barberina

GABINET ARCHEOLOGICZNY
UNIWERSYTETU
JAGIELLOŃSKIEGO
W KRAKOWIE.

ROMÆ MDCCXLVI.
Sumptibus **FAUSTI AMIDEI** Bibliopolæ in Via Cursus.

Typis Bernabò, & Lazzarini.)(*Superiorum permissu.*

7279

BIBLIOTHECA
948356
IV

[redacted]

[redacted]

[redacted]

St.Dr. 2018.D.20/5(5)

Clariſſimo, Præſtantiſſimoque Viro

JULIO

ABATI FRANCHINO-TAVIANO

FRANCISCI Romanorum Regis Imperatoris Electi, ac Magni Ducis Etruriæ apud S. Sedem pro Rebus Etruſcis Ablegato.

FAUSTUS AMIDEUS S.P.D.

AGESILAUS Spartanorum Rex, aliique præſtantiſſimi Viri neque ſe fingi, neque pingi ullo modo paſſi ſunt. Alexander Macedonum Rex à multis Artificibus promiſcue contaminari ſe noluit, quin edicto ſanxit, uti ſolum Poli-

cletes vultum ſuum ære duceret, Apelles coloribus delinearet, Pyrgoteles celamine excuderet, præter hos tres in arte ſua nobiliſſimos, ſi quis uſpiam repe-riretur alius Regis imagini manus admolitum, ſciret haud ſecus in ſe, quam in ſacrilegum vindicatum iri. Hæc ita quidem præſtantes in Antiquitate Viri. Sed quid intereſt Reipublicæ veroſimiles illorum virorum vultus habere? Magis equidem intereſt eorum res geſtas ſine fuco, ſine adulatione deſcriptas habere, aliiſque hominibus ſpectandas proponere. Hanc ſecuti ſumus ſententiam cum ſecundum Volumen Muſei Romani Cl. Cauſei hac nova, elegantique Editione præſtantiſſimo nomini tuo inſcribendum duximus. Equidem cordatis Viris non fucum facit, quæ plerique maxime admirantur Ortus, Dignitates, & alia ejuſmodi multis comunia,

opta-

optabilia potius, quam laudabilia, & ſi fortuna tibi Vir Ampliſſime ea contulit univerſa, ſed quæ Tua ſunt. Omnibus palam eſt, quantis, & quam arduis in rebus, quas longum eſſet memorare, Tuam fidem, & dexteritatem domi foriſque Principes nonnulli experti ſint; at Regnantium mereri judicium ſupremæ laudis eſt. Innoteſcit omnibus in tuo primo Juventutis flore, quam gravi humanarum politiorumque rerum cognitione, & doctrina varia inſtructum extiteris; quod ſentiens Coſmus III. Magnus Etruriæ Dux apud Ludovicum XV. Regem Chriſtianiſſimum difficillimis temporibus Ablegatum delegit. Id quoque ſenſit & Jo. Gaſto poſtremus Mediceæ Familiæ; idem demum, & FRANCISCUS Romanorum Rex ac Imperator Electus ſemper Auguſtus, Magnuſque Etruriæ Dux, qui

ex Gallia Romam accito, tua apud S. Sedem uſus eſt opera: ſed hæc omittenda ſunt, cum ſatius ſit, ut ait Saluſtius de Chartagine, ſilere, quam pauca dicere. Ratio vero potiſſima, qua hoc Volumen Tibi dedicare conſtitui, opportuna mihi videtur, quia video Te Romanarum Antiquitatum ſtudioſiſſimum; quod etiam non modo Muſeum Tuum veterum imaginibus inſignitum, ac ornatum demonſtrat, ſed etiam politioris literaturæ librorum ſupellex, in quibus dum à gravioribus tui officii muneribus paulum ſecedis, jucunde, ac peramanter conquieſcis. Quæ quidem omnia cum animo meo reputarem, aliquandiu dubius hæſi, num hoc Volumen Tuo conſpectui ſubjiciendum eſſet, ſed cum Te viderim in Muſas Muſarumque Amicos propenſum, Patronum Te huic Editioni adlegi; boni conſul-

turum

turum ſperans quidquid in illa concinnanda a me præſtitum; ſatis Magnum Operæ pretium relaturus, ſi hoc munuſculum, Clariſſime Vir, gratum Tibi ſenſero, quod non promeritis, ſed ex animo offero. Vale.

REIM-

REIMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. Maria de Rubeis Archiepiſcopus Tarſi Vices-gerens.

REIMPRIMATUR.

Fr. Nicolaus Aloyſius Ridolfi Magiſter Sacri Palatii Apoſtolici.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QUum exterarum, & præcipue Borealium Gentium in Italiam, Provinciarum omnium nobiliſſimam, & potentiſſimam irruentium colluvies infinita mala, & incommoda poſt Romani Imperii exitium in noſtros Majores invexerit; hoc graviſſimum meo quidem judicio exiſtimandum eſt, quod omnia vaſtando & ruinis obruendo illuſtria Veterum monumenta aboleverit, & barbara feritate per multa ſæcula domo ſua procul non ſolum politiores Muſas, ſed & nobiliores Artes ſinu, & capillis laniatas exulare compulerit. Propterea apud eoſdem Majores noſtros denſa ignorantiæ nocte utique incubante, quod olim alia occaſione deflevit in Epiſtola Synodica ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem Maximus Religionis Chriſtianæ Pontifex Agatho, omnia, quæ ad animum excolendum apta erant, Græcorum, Latinorumque præclaras artes prorſus illi peſſundederunt, aſpernaveruntque: Inde etiam contigit, ut non ſolum innumera, atque inſignia Veterum monumenta lacrimabiliter vel tota, vel ex majori parte interciderint; ſed & vix ulli reperti ſint, qui pro

digni-

dignitate illorum memoriam litteris mandare ſtuduerint. Magno huic detrimento præclare ſe conſulturos, optimeque apud Poſteros acturos Viri in Republica Eruditorum dignitate principes facile crediderunt, ſi hinc inde publica privataque monumenta, Inſcriptiones, Toreumata, Idola, Opera Anaglipha, quæ veluti ex luctuoſo naufragio forte fortuna ſupererant, è latebris egererent incredibili Rei Litterariæ emolumento. Inter hos non minimam ſuſcepit laudem Cl. Michael Angelus Cauſeus Gallus, qui non ſolum plura Veterum monumenta viriculo æri obducenda nobis ſervavit, nulli parcendo ſumptui, ſed ea publico juri faciendo Reipublicæ Litterariæ comodo, eruditis, præclariſque adnotationibus conſociavit.

Sed vix tantis cladibus per ſumma ingenia conſuli ceptum fuerat, cum cinicus Populus, priori illo exitialior, reſtitutis ejuſmodi Antiquitatis ruderibus novum bellum indixit. Critici enim muneri ſuo præſtantiſsimo abutentes, dirum judicium ubi minime oportuerat, audacter nimis exercentes, veris, proinde, ac dubiis monumentis diem, ac ſententiam dixerunt: Alii vero in iis dijudicandis arbitri parum apti, & periti omne pretium, omnemque antiquitatem iis a ſe ut plurimum minime expenſis, ideoque contemptis, in dies palam abrogare non dubitant, ut plurimum cauſis nunc primum per ipſos excogitatis,

nec pridem umquam in Litteratorum Senatu exauditis; At ad eos coercendos ſatis ſint hæc duo Volumina ineunte jam ſæculo a Cl. Cauſeo exarata, nunc in ampliorem, elegantioremque formam edita, in quibus videre eſt immenſos ingenii ſui, & vigiliarum exantlatos labores, rectum judicium, aptas ſententias, atque in ipſis conjecturis quam proprium, quam veroſimile appareat, unde omnium Gentium, non barbarorum, vel criticorum, literaria ſupellex aucta eſt ingenti Literatorum omnium voluptate, quam ſperamus in præſenti eo magis augeri, quo nitidiorem auctioremque editionem præbemus. Utere igitur feliciter & vale.

ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO TERTIA
Insignia Flaminis Dialis, Pontif. Max. & Auguris, necnon Instrumenta sacrificiis apta.
TABULA PRIMA.

1.

LAMINES quasi Filamines à filo, quo caput revinciebant, dictos putat Varro lib. 4. de lingua Latina cap. 15. *Flamines, quòd in Latio capite velati erant semper, ac caput habebant cinctum Filo, Flamines dicti*. Nudis enim capitibus incedere illis nefas erat, sed per æstatem galerum propter nimium calorem minimè gestantes, caput filo cingebant: festis verò diebus filo depositio pileum

ſumebant pro ſacerdotii eminentia, ſi fides Iſidoro lib. 7. Orig. cap. 11. Erat autem Flamen Sacerdotis nomen alicui Deo particulariter conſecrati, cui ſacra faciens ab eo nomen obtinebat, Dialis videlicet vocabatur, qui Jovis curabat ſacra, ut & Martialis, & Quirinalis, qui Martis, & Quirini. Horum duos priores à Romulo inſtitutos, ultimum verò à Numa ſcribit Plutarchus in Numa, cui aſſentitur Pomponius Lætus lib. de Sacerdot. cap. 7. licet omnes à Numa creatos Livius aſſerat lib. 1. cap. 19. Succeſſu temporis ad XV. numerum aucti ſunt ſinguli ſingulis Diis, Cæſaribuſque conſecratis attributi, quorum maximus Dialis habebatur, teſte Feſto, ſoluſque albogalero, inſigni veſte, curulique ſellâ uti poterat. Fuit autem illa differentia inter Flamines, quæ nunc in Eccleſia Dei inter Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ut refert Gratianus Decret. par. 1. diſt. 80. ex auctoritate D.Clementis Romani Epiſt. 1. ad Jacob. fratrem Domini (quamvis fictitia, non infimæ tamen antiquitatis) cujus Pontificis verba hæc ſunt. *In illis verò Civitatibus, in quibus olim apud Ethnicos primi Flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum Primates poni, vel Patriarchas* (B. Petrus) *ordinavit, qui reliquorum Epiſcoporum judicia, & majora (quoties neceſſe foret) negotia in fide agitarent, &c. In illis autem Civitatibus, in quibus dudum apud prædictos erant Archiflamines (quos tamen minores tenebant, quàm memoratos Primates) Archiepiſcopos inſtitui præcepit, qui non tamen Primatum, ſed & Archiepiſcoporum fruerentur nomine, &c. In ſingulis verò reliquis Civitatibus ſingulos, & non binos, vel ternos, aut plures Epiſcopos conſtitui præcepit, qui non Primatum, aut Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum nomine (quia matres civitatum non habent) ſed Epiſcoporum tantùm vocabulo potirentur, quoniam nec inter ipſos Apoſtolos par inſtitutio fuit, ſed unus omnibus præfuit.*

2. Apex Pontificis Maximi ornamentum, & inſigne ſæpius occurrit in nummis Julii Cæſaris, Marci Antonii, & Auguſti, ad indicandum eorum Pontificatum Maximum. Pontifices à Numa inſtitutos, ſcribit Livius lib. 1. cap. 20. Fuerunt ab initio quatuor; deinde quatuor alii ex plebe creati ſunt M. Valerio, & Q. Apulejo Coſs. Illis omnibus Pontifex Maximus præerat, cui ſacra omnia publica, privataque

ſub-

subjecta erant, & quo defuncto alius à Pontificibus eligebatur. Appellatos fuisse Pontifices & à ponte, & à facio quidam putant, eò quòd pons sublicius ab his primùm factus, ac sæpius deinde restitutus fuerit: alii verò eosdem à posse, & facere sic dictos asserunt.

TABULA II.

1. LItuus baculus incurvus, & leniter à summo inflexus, quem Augures dextrâ tenebant: describitur ab A. Gellio lib. 5. cap. 8. *Lituus virga brevis in parte, quâ robustior est, incurva*. Primus Litui usus Romulo Urbis conditori tribuitur, quem Cicero lib. 1. de Div. scribit eo regiones direxisse, cùm Urbem conderet. Hunc in Capitolio servari solitum fuisse narrat Plutarchus in Vita Romuli, sed captâ à Gallis Urbe perditum, mox ejectis illis inter altissimas favillas illæsum, cùm ignis cætera consumpsisset, inventum fuisse. Lituus ad Augures pertinebat, qui teste Isidoro lib. 8. Orig. cap. 9. volatus avium, & voces intendebant, & sic augurium erat naturalis quædam avium præsensio pluvias, & tempestates, aliaque hominibus imminentia volatu, & garritu indicantium. De inaugurandi ritu hæc refert Pomponius Lætus de Sacerd. cap. 5. *Locus augurii Templum erat: Augur versus Orientem sedebat, capite velato, lituum dextrâ tenens manu, idest, curvum baculum, quo in Cœlo regiones dividit, & quæ auguria veniunt, prædicit; si læva fuerint, quia à læva parte Septentrio est, felicia pronuntiat, pars illa Orbis propter altitudinem prospera putatur: & à dextera parte Meridies, quia depressus est, infelix.* Plura vide apud Livium lib. 1. cap. 18. & Feneſtellam lib. de Sacerd. cap. 4. Hæc disciplina primùm viguit apud Phryges, & Chaldæos, ab eis transiit ad Græcos, deinde ad Etruscos, ab Etruscis ad Romanos commigravit. Augures apud illos mox tres fuêre, mox quatuor, mox novem quinque videlicet plebei, & quatuor patricii. Scribit D. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei cap. 30. Ciceronem Augurem reprehendisse homines Corvi, & Corniculæ vocibus vitæ consilia moderantes; quod ipsemet Cicero testatur lib. 2. de Div. auguria vanitatis, & ineptiæ condemnans. Audiamus etiam D. Cyprianum superstitionem auguriorum irridentem in Opusc. de

Idolor. vanitate. *Non ergo* (inquit) *de Religionibus ſanctis, nec de auſpiciis, aut auguriis Romana regna creverunt, ſed acceptum tempus certo fine cuſtodiunt. Cæterùm & Regulus auſpicia ſervavit, & captus eſt: & Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt: & pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt: C. Cæſar, ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis, & auſpiciis renitentibus ſprevit, & eò faciliùs navigavit, & vicit. Horum autem omnium ratio eſt illa, quæ fallit, & decipit, & præſtigiis cæcantibus veritatem ſtultum, & prodigum vulgus inducit.*

2. 3. Simpulum, quod & Simpuvium dicitur, Pontificum collegii ſymbolum erat: deſcribitur à Feſto *Vas parvum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur, unde & mulieres rebus divinis deditæ Simpulatrices dictæ*. Duas hujus calicis ſpecies exhibemus, unam ex antiquo marmore in Æde Divi Laurentii extra muros deſumptam, alteram in Muſeo Jo. Petri Bellorij aſſervatam.

TABULA III.

PRæfericulum vas erat in ſacrificiis proferri ſolitum, in quo vinum, aliuſve liquor includebatur. Hoc vas ſæpe occurrit in nummis Imperatorum, Cæſarumque in eorum ſummi Pontificatus memoriam ſignatum. Feſtus ait præfericulum eſſe vas æneum ſine anſa, quod veteres in ſacrificiis ſolebant præferre: at hæc deſcriptio minimè concordat cum antiquis numismatibus, & toreumatibus, quæ anſatum illud repræſentant, ut videre eſt in hac imagine ex pulcherrimo zophoro ad radices Capitolii delineata.

TABULA IV.

IN ſacris ferè omnibus veterum tres adhibebantur purgationes; nam vel flammâ, vel ſulphure purgabantur, vel aquâ abluebantur. Ovidius lib. 7. Metam.

Terque ſenem flammâ, ter aquâ, ter ſulphure purgat.

Hæc aqua luſtralis dicta in circumſtantes ad expianda leviora crimina ſpargebatur, ſicuti etiamnum mos eſt apud Chriſtia-

stianos, qui ad purgandas leviores animæ sordes aquâ benedictâ frequenter in sacris utuntur. Illa ferebatur in vasculo huic simili, quod extabat in Museo Jo.Petri Bellorii, & quale observatur in Tabula VII. Columnæ Trajanæ notis ejusdem illustratæ pulcherrimum exhibente sacrificium, ubi sacrorum quidam Minister vas aquæ lustralis dextrâ tenet.

TABULA V.

1. SEquitur Aspergillum, sive Aspersorium ex equinæ caudæ pilis confectum, quo Sacerdotes aquam lustralem aspergebant. Ovidius lib. 3. de Ponto.

Spargit aquâ captos lustrali grata Sacerdos.

Antiquitus vice Aspersorii utebantur veteres ramo lauri, vel oleæ, ut scribit Virgilius de Ænea in funere Miseni lib.6. Æneid.

Idem ter socios purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros.

2. Malleo Ministri sacrificiis inservientes victimam percutiebant. Ovidius lib.2. Metam.

Lactantis vituli dextra libratus ab aure
Tempora discussit claro cava malleus ictu.

3. 4. Cultris minores hostiæ mactabantur. Idem Ovidius lib. 15. Metam. de Victima.

. . . . . *Percussaque sanguine cultros*
Inficit.

Victimarii cultros vaginâ inclusos lateri alligabant, iisque ad secandas hostias utebantur. Contenta in hac tabula desumpta sunt ex Arcu Septimii Severi, & Antonini Caracallæ prope S. Georgium in Velabro.

TABULA VI.

ANimalia sacrificiis destinata securi percutiebantur. Horatius lib. 3. Car. Od. 23.

Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Cervice tinget.

Et

Et Ovidius lib. 4. Triſt. el. 2.

Candidaque adductâ collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tingit humum.

Securem hanc Baccho dicatam eſſe patet ex capite Tigridis huic Deo ſacræ, ſiquidem primus ille animal ferociſſimum domavit, curruique alligavit. Tibullus lib. 3. el. 6. de Baccho.

Armenias Tigres, & fulvas ille Leænas
Vicit & indomitis mollia corda dedit.

Et Martialis lib. 8. ep. 25.

Nam cum captivos ageret ſub curribus Indos,
Contentus geminâ Tigride Bacchus erat.

TABULA VII.

1. HUnc gladium ſacrificiis aptum Seceſpitam eſſe conſtat, tum quia ſimiles obſervantur in diverſis antiquis toreumatibus ſacrificia exhibentibus, tum propter Antiſtii Labeonis deſcriptionem apud Feſtum Seceſpitam referentis fuiſſe *Cultrum oblongum, manubrio rotundo, eburneo, ſolido, vincto ad capulum auro, argentoque, fixum clavis æneis, ære cyprio, quo Flamines, Flaminicæ Virgines, Pontificeſque ad ſacrificia utebantur*. Hæc omnia gladio noſtro conveniunt, etſi manubrium illi deeſt eburneum, quo ferreum tegebatur, patet illud fuiſſe rotundum, remanentque foramina clavorum, qui ebur connectebant.

2. Cochlear, quo thus ex acerra ſumebatur.

3. Ligula, quâ Aruſpices animalium viſcera explorabant.

TABULA VIII.

SCribit Feſtus acerram fuiſſe arculam thurariam, ubi thus reponebatur: hanc Camillus ferebat, ut videre liquet in plurimis antiquis marmoribus. De illa mentionem facit Martianus Capella lib. 2. de Nupt. *Acerrâ autem multo aromate gravidata, eademque candenti manus Virginis oneratur.* (Et deinde) *Ac Veſtæ Deûm nutrici, eidemque pediſſequæ acerra illa olacem aromatis refundente, omnis ille ordo Cœlicolum portiones ſibi com-*

competentes attribuens, arabicis lætabatur halatibus. Acerræ meminit etiam Ovidius lib. 4. Faſtor.

Cumque meri patera thuris acerra fuit.

TABULA IX.

NUlla thuribuli neque in marmoribus, neque in nummis antiquis reperitur imago: conſtat tamen ex auctoritate Clementis Alexandrini thuribulum Aaronicum explicantis lib. 5. Stromat. fol. 562. thuribula in Templo Domini poſita fuiſſe. Ανὰ μέσον δὲ τοῦ καλύμματος καὶ τοῦ παραπετάσματος, ἔνθα τοῖς ἱερεῦσιν ἔξεστιν εἰσιέναι, θυμιατήριόν τε ἔκειτο, σύμβολον τῆς ἐν μέσῳ τῷ κόσμῳ τῷδε κειμένης γῆς. ἐξ ἧς αἱ ἀναθυμιάσεις. *In medio autem operimenti, & veli, quo licebat ingredi Sacerdotibus, erat ſitum thuribulum ſymbolum terræ, quæ eſt ſita in hoc Mundo medio, ex qua oriuntur exhalationes.* De thuribulis, quæ poſuit Salomon in domo Dei, mentio reperitur in Sacro Texto lib. 2. Paralipom. cap. 4. In Sacrificiis quoque illa adhibita fuiſſe canit Auſonius in Technopag.

Thuribula, & pateræ, quæ tertia vaſa Deûm? lanx.

TABULA X.

TRipodum nomine intelliguntur omnia illa inſtrumenta, quæ tribus inſiſtunt pedibus: propriè tamen Tripodes erant menſæ in Templo Apollinis Delphici, quibus ſuperpoſitæ Phæbades vaticinabantur; hinc Apollini Tripodes cum Serpentibus dicati, de quibus Herodotus in Calliop. Συμφορήσαντες δὲ τὰ χρήματα, καὶ δεκάτην ἐξελόντες τῷ ἐν Δρυφοῖσι θεῷ, ἀπ' ἧς ὁ τρίποις ὁ χρύσεος ἀνέτεθη, ὁ ὑπὸ τὸ τρικαρήνου ὄφεος τὸ χαλκέου ἑπεσεὼς ἄγχιστα τοῦ βωμοῦ. *Collata autem pecunia decimam ſelegerunt, ex qua tunc Deo, qui Delphis eſt, Tripos aureus ibi repoſitus eſt. inſiſtens ſuper tricipiti ex ære Colubro proximè aram.* Tripodem cum intorto Serpente deſcribit Pauſanias in Phoc. planè, ut hic exhibetur ex antiquo toreumate delineatus. Εν κοινῷ δὲ ἔθεσαν ἀπὸ ἔργου τοῦ Πλαταιάσιν οἱ Ελληνες χρυσοῦν τρίποδα δρακόντι ὑπεικάμψον χαλκῷ. *Commune fuit Græcorum de Platæenſi prælio donum, aureus Tripos ſuſtinente æneo Dracone.*

TA-

TABULA XI.

QUidam Tripodes domi tenebantur, ſuper quos vel accenſo igne, vel fructibus, floribuſque impoſitis ſacra Laribus peragebantur, qualis eſt iſte apud Joannem Petrum Bellorium. Juvenalis Sat. 12.

. . . . . *Laribuſque paternis*
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Ex Apollodoro, & Plutarcho diſcimus Delphici Tripodis raptus, quod tunc contigit, cum Hercules Iphiti cæde pollutus Delphos profectus à Xenoclea Apollinis interprete, reſponſum obtinere non potuit. Huc pertinere videtur Herculis cum Apolline pugna, de qua videndus Apollodorus lib.2.cap.6.Scimus ex Pauſania in Phocaicis. Herculem Apollini tripodem reddidiſſe; id vero ego prius non factum exiſtimo quam Pheneum Arcadiæ is fuiſſet ab Hercule deportatus, ut obſervo apud Plutarch. in opuſc. De ſacra numinis vindicta. Deinde Hercules Philonem Alcimedontis herois filiam viſitavit, quam cum Pater eam ob cauſam iratus in Oſtracina monte cum Ædimagora, quem nuper enixa erat, feris laniandum expoſuiſſe, Hercules, illac forte iter habens, atque à Pica infantis vagitum imitante, eum in locum in quo uterque expoſitus fuerat deductus, liberavit, ſicut ex Pauſania deducimus, cum nullus alius hanc memoret Herculis expeditionem dum Tripodem Apollinis in Delphico Templo reſtituit.

TABULA XII.

IN Muſeo Chiſiano aſſervatur Tripos flexilis, & plicatilis, in cujus ſummitate ſculpta ſunt tria capita Bacchantium uvis coronatarum, Baccho procul dubio conſecratus; Tripodem enim Libero patri dicatum, ſcribit Athenæus lib. 2. Deipnoſoph. Καὶ τὸ νικητήριον ἐν Διονύσῳ τρίπους. ἐκ γὰρ ἐκ τρίποδος λέγειν φαμὲν τοὺς ἀληθεύοντας. *In Bacchi certaminibus Victoris præmium eſt Tripos; nam qui vera fantur, e Tripode loqui dicimus.* Duo Tripodum genera recenſet, quæ ambo veteres λέβητας nominarunt; unum, quod ἐμπυριβήτης ὁ δὲ λοιβόχος dicebatur, quo ad

aquam

aquam calefaciendam utebantur; alterum, quod vocabatur κρατὴρ ἄκρατος, in quo vinum miſcebatur: at in vino ineſſe veritatem nemo eſt, qui ambigat, & ſic Apollini, & Baccho conſecrati fuere Tripodes, illi ob oraculorum ſuorum certitudinem, huic verò quia non mentiuntur ebrii. Καὶ οὗτος ἔστιν ὁ τῆς ἀληθείας οἰκεῖος τρίπους. διὸ Απόλλωνος μὲν οἰκεῖος διὰ τὴν ἐν μαντικῇ ἀλήθειαν. Διονύσου δὲ διὰ τὴν ἐν μέθῃ. Auctor eſt Athenæus loco citato.

TABULA XIII.

CAndelabris utebantur veteres, cùm rem divinam faciebant: in illis figebantur candelæ, & funiculi ardentes, vel etiam lucernæ oleariæ ponebantur minùs tamen ad lumen exhibendum, quàm ad ſacrificii decus, & majeſtatem. De candelis mentionem facit Martialis lib. 14. ep. 41. illas lucernis vetuſtiores declarans.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

De lucernis verò ſacra pagina lib. 2. Paralipom. cap. 4. verſic. 20. deſcribens ea omnia, quæ poſuit Salomon in Domo Dei. *Candelabra quoque cum lucernis ſuis, ut lucerent ante oraculum juxta ritum ex auro puriſſimo.* Hoc pulcherrimum candelabrum delineari curavimus in æde D. Laurentii extra muros.

TABULA XIV.

DIſcus erat ſpecies quædam lancis, in quo victimarum exta ponebantur. De illo hæc ſcribit Iſidorus lib. 20. Orig. cap. 4. *Diſcus antea iſcus vocabatur à ſpecie ſcuti; unde & ſcutella per diminutionem, eſt enim ejuſdem ſimilis: poſtea diſcus vocatus eſt, quod det eſcas, ideſt, apponat.*

TABULA XV.

SIſtrum inſtrumentum Ægyptiacum, quo Sacerdotes in ſacris Iſidis utebantur ἀπὸ τοῦ σείειν, ideſt, *à quatiendo*, dictum: eſt autem formæ ovalis, & manubriatum cum tribus, vel quatuor virgulis transverſalibus; deſcribitur ab Apule-

jo lib. 11. Metam. *Æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ criſpante brachio tergeminos jactus reddebant argutum ſonum.* Siſtrum in ſacrificiis concutiebatur ad indicandum omnia naturalia numquam motu vacare: rotunditas, quæ illud cingit, convenit Cœlo Lunæ, per quod omnia moventur, & mutantur ratione quatuor elementorum, quæ per quatuor Siſtri virgas denotantur: quaternarius enim numerus pertinere videtur ad corpus conſtans ex quatuor elementis, & quatuor qualitatibus, ſicca, humida, calida, & frigida: ternarius verò ad triplicem animæ vim, de quo infrà. In Siſtri vertice viſitur animal quoddam aliquando facie humana præditum, quod Felem eſſe docet Plutarchus in lib. de Iſ. & Oſ. Τῇ δὲ ἀψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύσιν ἄιλουρον ἀνθρώπου ἴχνιλα. (Et mox) τῷ δὲ αἰλούρῳ τὴν σελήνην, διὰ τὸ ποικίλον καὶ νυκτουργὸν & γόνιμον τοῦ θηρίου. *Curvamini Siſtri autem in vertice inſigunt Felem humana facie, &c. Fele Lunam repræſentante ob animalis iſtius varietatem, ac vim noctu agendi, & fœcunditatem.* Felis Lunæ filius fabulosè dicitur, quod Lunæ ſequatur naturam: ſubjungit enim Plutarchus Felis oculorum pupillas dilatari, & attenuari ſecundum Lunæ curſum; humanâ autem Felis facie innui Lunæ mutationes mente, ac ratione gubernari. Illa in hoc ſiſtro humanâ facie minimè prædita eſt, at ſolitum, & ſibi convenientem vultum præfert. Hoc animal apud Ægyptios divinis penè afficiebatur honoribus, nam quibuſcumque in domibus Felis mortem oppetierat, cuncti earum domorum habitatores ſupercilia eradebant: ſi verò quiſquam Felem vel ſpontè, vel invitè necaſſet, morte puniebatur; ut ex Herodoto in Euterp. & Euſebio lib. 2. Præp. Ev. cap. 1. colligitur. In lateribus Siſtri ſculptus eſt flos loti, & nux pinea, quæ ſymbola Iſidi, ſive Deûm Matri ſacra ſunt. De loto alibi diximus, de pino meminit Ovidius lib. 6. Metamorph.

Et ſuccincta comas, hirſutaque vertice pinus
Grata Deûm Matri: ſiquidem Cybelejus Atys
Exuit hac hominem, truncoque induruit illo.

Siſtrum apud Ægyptios vicem tubæ in bello exhibebat, &

apud

apud Amazonas fœminarum exercitus hoc instrumento ad bellum vocabatur. Auctor est Isidorus lib. 3. Orig. cap. 21.

TABULA XVI.

Asservatur aliud Sistrum in Museo Jo. Petri Bellorii quatuor etiam habens virgulas transversales, cum Felefœtibus lactantibus decumbente in ejus summitate insculpta, quæ Lunæ globum gerit in vertice connexionem hujus animalis cum Luna indicantem, juxta prædictam Plutarchi descriptionem. In utroque Sistri latere Isidis mitra inspicitur. De armonico sonitu plura videnda sunt in Sectione de Musica veterum.

TABULA XVII.

Sequens Sistrum ab aliis duobus differt, quòd Felis in ejus summitate sculpta humano vultu prædita sit, quodque tres tantùm virgulas habeat transversales, quæ triplicem Isidis potestatem innuunt: eadem enim est Luna in Cœlo, Diana in terris, & Hecate apud inferos. Ausonius in ter.num.gry.

Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.

Sic etiam Prudentius lib. 1. contra Symm.

Denique cum Luna est, sublustri splendet amictu:
Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est:
Cum subnixa sedet solio, Plutonia conjux,
Imperitat furiis, & dictat jura Megeræ.

Triplex est etiam aspectus Lunæ, videlicet cum surgit in cornua, & falcata dicitur: cum dimidiata est: & cum orbem complet. Ternarius hic virgularum numerus potest etiam referri ad triplicem motum Lunæ, quæ tribus viis movetur in cœlo, in altitudinem, latitudinem, & longitudinem. Ternarii numeri laudes, vide apud Macrobium lib. 1. in Somn. Scip. quem ut & quaternarium, ex quibus constat septenarius inter arcana venerabant Pythagorici. *Ternarius* (inquit) *assignat animam tribus suis partibus absolutam; quarum prima est ratio, quam* λογιστικὸν *appellant: secunda animositas, quam* θυμικὸν *vocant: tertia cupiditas, quæ* ἐπιθυμητικὸν *nuncupatur*. Triplex enim assignatur vis animæ, quæ est rationalis, irascibilis, &

concupiſcibilis. Humanam vitam triplicem eſſe, ſcribit Jamblichus ſect. 5. de Myſt. cap. 18. intellectualem, naturalem, & mediam inter utramque. Divinas quoque eſſentias, & potentias triplices eſſe docet; vel enim illæ imperant animæ, & naturæ; vel ab anima, & natura prorſus abſtrahuntur; vel medio ſe modo habent. Ternario numero in rebus divinis priſci utebantur, quemcumque enim ſuperûm hoc numero delectari credebant. Tibullus lib. 1. el. 2.

Hæc mihi compoſuit cantus, quis fallere poſſes:
Ter cane, ter dictis deſpue carminibus.

Etenim numerus iſte in religionibus, rebuſque omnibus potentiſſimus habebatur, & maximè in ſanandis morbis, ſi fides Plinio lib. 26. cap. 9. Vir eruditiſſimus Jo. Petrus Bellorius ait in expoſitione Symbolici Deæ Syriæ ſimulacri Siſtrum tribus tantùm virgulis confectum innuere ſententiam illorum, qui ignem inter elementa non admittebant, ſed ad generationem rerum naturalium ſuppleri calore Solis autumabant. Diverſas priſcorum opiniones circa numerum elementorum recenſet Plutarchus; quidam enim terram inter prima, & præcipua mundi elementa non admittebant putantes illam neque immobilem eſſe, neque mediam tenere globi regionem, ſed eſſe in gyrum circum ignem ſuſpenſam, quam ſententiam refert ille in Numa. Scribit verò in Opuſculo de Iſ. & Oſir. alios affirmare terram, aërem, & ignem fuiſſe tria prima corpora ab aqua rerum omnium principio effecta. Ἡ γὰρ ὑγρὰ φύσις, ἀρχὴ & γένεσις ὧν πάντων ἐξ ἀρχῆς, τὰ πρῶτα τρία σώματα, γῆν, ἀέρα, & πῦρ ἐποίησε. *Humida enim natura, cùm ab initio principium, & ortus omnium eſſet rerum, tria prima effecit corpora, terram, aerem, & ignem.* Pulcherrimum hoc Siſtrum æreum viridi obductum ærugine in gazophylacio Excellentiſs. Domus Burgheſiæ cuſtoditur. Magnificæ, & ſumptuoſæ hujus Principis ædes nobiliſſimum ejus animum arguunt: patent illæ quotidie à curioſis exteris inviſendæ; urbanæ quidem picturis, ſtatuis, aliiſque pretioſiſſimis ſupellectilibus exornatæ: rurales verò prope, & extra Urbis mœnia ſitæ ſtatuis pariter, & picturis, plurimiſque rebus mirabiles naturæ, & artis varietates exhibentibus inſtructæ. Illic horti amœniſſimi, virentibus ſemper arboribus conſiti, limpidiſque

que irrigati fontibus, publicæ voluptati comparati sunt; in quorum medio verè condigna Floræ habitatio extructa est, superbusque huic Deæ erectus triumphalis arcus. Singula inibi singulis diebus rident: omnia omnibus nobile præbent oblectamentum. Mille, & amplius vasa novis semper floribus referta varias anni tempestates distinguunt: Iris, Hyacinthus, Narcissus, Anemone, Ranunculus, Tulipanus, Leucojon, Jasminum tum Hispanicum, tum Alexandrinum, aliique flores sibi invicem succedentes jucundis varietatibus, suavibusque odoribus visum, & odoratum perpetuò recreant, ac reficiunt.

TABULA XVIII.

PAteras sic dictas scribit Isidorus lib.20. Orig.cap.5. quòd patentes sint, dispansisque labris: erant autem vasa sacrificiis destinata, quibus Sacerdotes vinum inter cornua victimarum spargebant, ut canit Virgilius de Didone lib. 4. Æneid.

Ipsa tenens dextrâ pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fudit.

Dianæ dicatam fuisse hanc pateram Canis, & Nympharum, sive Oreadum capita facilè denotant; siquidem istæ Dianam comitabantur; ille verò eidem sacer erat, utpote ad venationem idoneus. Montium custodem, nemorumque virginem vocat illam Horatius lib.3. Car. od. 22. & sæpe à Poëtis Venatrix, & Jaculatrix dicta est. Sic etiam Ovidius Dianam feras insectantem describit lib- 3. Amor. el. 2.

Talia pinguntur succinctæ crura Dianæ,
Cùm sequitur fortes fortior ipsa feras.

Scribit Xenophon lib. de Venat. Canes, & Venationes inventum Deorum Apollinis, & Dianæ. Τὸ μὲν θήρημα θεῶν Ἀπόλλωνος & Ἀρτέμιδος ἄνρας & κύνες. Tria capita triformem Dianam forsan innuunt. Virgil. lib. 4. Æneid.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Canes autem immolabantur Hecatæ, quod Canis latrans lemures in fugam convertat.

TA-

TABULA XIX.

EUmdem eſſe Solem, atque Mercurium, docet Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 19. Sic Ægyptii pinnata fingebant Solis ſimulacra, quibus color apud eos geminus erat; alter clarus, cum Sol ſuperiorem Zodiaci partem, ſive æſtivam ambit; alter cæruleus, cùm in parte inferiori ſigna hyemalia percurrit. Hoc ſimulacrum dextrâ lotum, ſiniſtrâ lyram geſtat. Loti flos denotat virtutem Solis moventem ad generationem, ejuſque motum ſequitur ab ortu ad occaſum, ut legitur apud Proclum lib. de Sacrif. & Magia. *Lotus implicat quidem in ſe folia ante Solis exortum, oriente verò Sole explicat paulatim, & quatenus Sol ad mediam cœli aſcendit plagam, eatenus pandit folia: quatenus verò à medio petit occaſum, gradatim folia contrahit: videtur hæc non minus dilatatione, contractioneque foliorum honorare Solem, quàm homines genarum geſtu, motuque labiorum.* Lyra Apollinis chordarum ſeptem tot cœleſtium ſphærarum motus innuit. Patera inter Etruſcas connumeranda, ut videre eſt apud Cl. Gorium in Muſeo Etruſco.

TABULA XX.

EXhibetur in hac patera Mercurius diſſerens cum Paride pileo phrygio inſigni, fortè de ſententia inter Deas ferenda. *Pingitur cum petaſo gnatus Majæ*, inquit Arnobius lib.6. adv. Gent. *tamquam vias aggredi præparet, & Solem, pulveremque declinet.* Pinnata talaria geſtat pedibus, ſive *quòd negotiantium pedes ubique pergendo, quaſi pinnati ſint*, ut ſcribit Fulgentius lib. 1. Mythol. ſive quòd ipſe omnium planetarum ſit velociſſimus, ſeptimâ enim die ſuos permeat circulos. Alæ conveniunt etiam Mercurio uti eloquentiæ præſidi, quia ſermone nihil eſt velocius: unde Homerus lib. 1. Odyſs. verſ. 122. verba vocat alata. Hæc quoque Etruſca eſt, Litteræ vero male viriculo inſcalptæ.

TABULA XXI.

SEquitur raptus Helenæ in alia patera expreſſus. Adſunt Trojani cum pileis phrygiis rapturam, ſeu jam raptam Principem comitantes. Fertur Paridem in Inſula Cranæ primum

mum habuiſſe cum Helena congreſſum, ædemque in continentis terræ adverſo littore Veneri Migonitidi, ſive conjugali faciendam curaviſſe: at octavo fermè poſt Trojam everſam anno Menelaus proximè ad Migonitidis ſimulacrum Thetidis, & Praxidicæ quaſi vindicatricis ſigna dicavit. Injuriam tamen ſibi illatam ulciſci non valuit, ſiquidem ipſi ſuperſtes fuit Helena, quæ deinde à Nicoſtrato, & Megapenthe pulſa ad Polyxonem Argivam Tlepolemi uxorem cognatam ſuam Rhodum venit, cujus ordine ad arborem ſuſpenſa laqueo vitam finiit. Auctor eſt Pauſanias in Lacon. Hæc patera in Muſeo noſtro aſſervata non minimi eſt momenti ob pulcherrimam æruginem, quâ obducta eſt, ad Smaragdi viriditatem, & nitorem proximè accedentem; de qua audiendus etiam eſt Cl. Gorius in ſuo Muſeo Etruſco.

TABULA XXII.

REpræſentantur in hac patera Lares publici, ut puto Etruſci, ſedentes, clypeis innixi, haſtas tenentes. Hoſtes ab illis putabantur arceri, ideoque cum haſta pingebantur. De illis mentionem facit Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 1. Antiq. Rom. his verbis. Νεὼς ἐν Ρώμῃ δείκνυται τῆς ἀγορᾶς ὑπερθω, &c. Ἐν δὲ τούτῳ κεῖνται τῶν ξοικῶν θεῶν εἰκόνες ἅπασιν ὁρᾶν, ΔΕΝΑΣ, ἐπιγραφὴν ἔχουσαι, δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας. δοκεῖ γάρμοι τὸν Πωήτω γράμματος ὕστερον κείμενον, τῷ δέλτα δηλοῦν τὴν ἐκείνου δύναμιν τοὺς παλαιούς. εἰσὶ δὲ νεανίαι δύο καθήμενοι, ὅπλα δηλητήριος, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. *Templum Romæ non procul à foro oſtenditur &c. In eo poſitæ ſunt Trojanorum Deorum imagines, quas cuivis fas eſt inſpicere, cum inſcriptione,* DENAS, *quæ Penates ſignificat: videntur enim mihi priſci ante inventum P. uſurpaſſe pro eo D. litteram; ſunt autem haſtati duo juvenes habitu ſedentium admodum antiqui operis.* Varias Scriptorum de Penatibus opiniones refert Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 4. & maximè Virgilii, qui magnos Deos Penatum comites ſcribit lib. 3. Æneid.

Cum ſociis, gnatoque, Penatibus, & magnis Dîs.

Inter quos Junonem, & Bacchum recenſet lib. 1.

Adſit lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno.

Unde hæc imaguncula vice manubrii pateræ appoſita intelligi poteſt de Baccho geſtante coronam in capite ſive ex he-

de-

dera, ſive ex roſis, aliiſve floribus, aut herbis contextam, quibus ſolebant veteres in epulis comas circumdare: veſtis autem ex humeris talorum tenus dependens fortè illa eſt, quæ Baſſarida vocabatur à Baſſara Lydiæ oppido, & quam Bacchus aliquando gerebat.

TABULA XXIII.

EXhibetur in hac patera Deorum maximus ſedens inter duas mulieres, quarum una obſtetricis vicesgerens Minervam, ſive Palladem ex Jovis vertice armatam proſilientem ambabus ſublevat manibus; altera parturienti Deo videtur opem ferre eum in partu amplexum ſuſtinens: adſtat Vulcanus cum ſecuri, vel dolabra, qui Jovi cervicem fregit, ut facilius puerperium prodiret. Minerva hic naſcens repræſentatur planè, ut ab Ovidio deſcribitur lib. 3. Faſtor.

Parva licet videas capitæ delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cepit habere ſuo.
Nominis in dubio cauſſa eſt: capitale vocamus
Ingenium ſolers, ingenioſa Dea eſt.
An quia de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſilviſſe ſuo.

Minerva de Jovis vertice nata fingitur, quia ingenium in cerebro poſitum eſt, ut docet Fulgentius lib. 2. Mythol. Ingenium autem, ſive ſapientia in capite hominis dicitur eſſe, hoc eſt, ſenſus ſapientis, qui invenit omnia, juxta Iſidori explicationem lib. 19. Orig. cap. 20. unde hæc Dea præeſſe creditur artibus, quia nihil excellentius eſt ingenio, quo reguntur univerſa. Scribit Phornutus Minervam eſſe Jovis Intellectum, ſive illius providentiam, ideoque in honorem Minervæ Templa providentiæ poſita fuêre; & quia veteres in cerebro totius animæ regimen, & prudentiam eſſe voluerunt, fortè quia ſuprema corporis humani pars caput eſt, ſicut ſumma mundi pars æther, ea de cauſa Minervam ex cerebro Jovis prognatam, ingeniiſque præeſſe dixerunt: ſed quare Jupiter ſedens ſupernè nudus, infernè tectus fingatur, declarant Porphyrius apud Euſebium lib. 3. Præp. Ev. cap. 3. & Georgius Codinus de Orig. Conſtant. Sedet ille, ut immo-

tam

tam poteſtatis ſuæ conſtantiam, ſtabilitatemque ſignificet; partes corporis ſuperiores nudas habet; quòd ipſe intelligentibus, ac cæleſtibus mundi partibus ſe conſpicuum exhibeat: inferiores verò tectas, quòd Deus humi repentibus ſit ignotus, & in infimis rebus, penituſque reconditis abſconditus deliteſcat: ſceptrum læva tenet poteſtatis indicium, vel etiam quòd in eo latere cor cæterarum humani corporis partium facilè princeps, vimque intelligendi maximam complexum inteſtinum velut in proprio domicilio conquieſcat: adeſt Aquila, quâ indicatur eum ſpiritibus aëreis imperare, ut Aquila volucribus. Hæc patera Etruſca exhibetur in Muſeo Coſpiano, apud Dempſterum de Etruria Regali, in Muſeo Etruſco Cl. Gorii, in diſſertationibus Academiæ Etruſcæ Cortonenſis, & demum accuratius in Apologia Etruſci Alfabeti adverſus Cl. Marchionem Maffejum, ubi plura penitioris eruditionis ſunt enucleata.

TABULA XXIV.

QUatuor Circifactiones in hac patera diſtinguuntur. In circo Quadrigæ agitabantur, indutique erant Quadrigarii tunicâ vel albâ, vel viridi, vel rufâ, vel cæruleâ, his coloribus quatuor anni tempora, ſeu potiùs quatuor elementa indicantes, quæ per quatuor numina in hac patera expreſſa Minervam, Martem, Venerem, & Herculem optimè deſignantur. Minervam creditam fuiſſe aërem teſtantur Divus Auguſtinus lib. 7. de Civ. Dei cap. 16. Macrobius lib. 3. Saturn. cap. 20., & Diodorus lib. 1. cap. 2. Sphæra Martis ex auctoritate ejuſdem Macrobii lib. 1. in Somn. Scip. cap. 11. ignis habetur; eſt enim ſydus ardens, & violentum, quod, teſte Firmico lib. 3. in ſeptimo ab horoſcopo loco, ideſt in occaſu partialiter conſtitutum maxima mala, & pericula decernit, facitque homines homicidas, & facinoroſos. Venus ex ſpuma maris genita, & à Poëtis marina ſæpiùs dicta, mare, ſive aquam deſignat. Terra denique ex Herculis clava, pelleque leonina innuitur, ſiquidem clava plantas denotat, Leo animalia, quæ duo maximè terra gignit, & nutrit: Leo etiam magnæ Deûm Matri ſacer

erat; quæ tellus etiam vocabatur. Hæc patera Etruſca, & fictilis eſt, quemadmodum primis naſcentis Romæ temporibus uti ſolitum erat. De ſimpulis, vaſibus, Deorumque Simulacris fictilibus plura referunt Seneca Ep. 31. Plinius lib. 34. cap. 7., & Juvenalis Satyr. 6., qui de illis mentionem facit his verſibus.

Et quis tunc hominum contemptor numinis? aut quis
Simpuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
Et vaticano fragiles de monte patellas
Auſus erat.

Sed quantum crevit Romanorum luxus; non fictilibus deinde, ſed murinis, cryſtalliniſve prolibatum eſt ſimpulis. Deorum Simulacra, Templorumque faſtigia non ampliùs ex ligno; at ex auro, aliiſque pretioſis metallis, ſanctiora minùs certè, & innocentiora, ſed maximis ſumptibus elaborata. *Aurum, & argentum ne Dis quidem antiquitùs conficiebant.* Ait Plinius lib. 35. cap. 12. *Cogita Deos*, ſcribit Seneca Ep. 31. *cum propitii eſſent, fictiles fuiſſe.* De beata illa primorum temporum ſimplicitate meminit etiam Tibullus lib. 1. el. 9.

Tum meliùs tenuere fidem, cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus:
Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam,
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ;
Atque aliquis voti compos liba ipſe ferebat,
Poſtque comes purum filia parva favum.

Unde aureum ſæculum minùs ex hominum innocentia, & puritate, quàm ex uſus metalli hujuſmodi privatione dictum facilè crederem cum Juvenale, qui tunc aurum fictilium Deorum ſimplicitatem nondum violaſſe ſcribit Sat. 11.

Fictilis, & nullo violatus Jupiter auro.

TABULA XXV.

EN alia patera ærea in muſeo Sereniſs. Magni Etruriæ Ducis aſſervata cum etruſcis characteribus, a Fabretto Inſcript. antiq. pag. 541. vulgata. Medea haſtam gerit, quâ

quâ caput humanum linguam exerens a Medo filio ex Ægeo Athenarum Rege suscepto fortasse abscisum, suisque incantationibus inserviturum percutit: filius dextrâ gladium tenet, lævâ sacculum, in quo caput repositum erat, matri porrigit.

TABULA XXVI.

SEquitur alia patera pariter etrusca raptum quemdam exhibens, forsan Helenæ, de quo supra. Homo ferè nudus mulierem vestitam amplectitur, eamque tentat rapere. Observandus muliebris ornatus, regiis Trojanis fœminis fortè proprius.

TABULA XXVII.

ACtæon a canibus laniatus in hac patera repræsentatur, non quidem in cervum versus, neque cervi pelle tectus, sed hominis effigie servatâ, canibusque opinione immissâ, ut feram illum putarent, sic referente Natali Comite Mythol. lib. 6. cap. 24. Ovidioque comprobante lib. 3. Metam.

Testis & Actæon, quondam fera creditus illis,
Ipse dedit letho cum quibus ante feras.

TABULA XXVIII.

AUgures, teste Pompejo, quinque signorum genera observabant, ex cœlo nempe, ex avibus, ex tripudiis, ex quadrupedibus, & ex diris. Tripudium ad pullorum augurium pertinebat, solebant enim Romani pullos caveâ inclusos ferre in bellis, ex quibus observabant rerum eventa. Si pascebantur avidè, bonum omen erat: si tam avidè, ut aliqua offæ particula ore excidens terram paviret, optimum, & hoc in libris auguralibus scribebatur tripudium solistinium: si verò pulli non pascebantur, triste, & infaustum reputabatur, pejus si è cavea fugissent. Scribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 4. P. Claudium bello Punico primo præ-

lium navale committere volentem, auſpiciiſque more majorum petitis, cùm Pullarius non exire caveâ pullos nuntiaſſet, abjici eos in mare juſſiſſe dicentem, quia eſſe nolunt, bibant. Cicero etſi Augurum collegio adſcriptus auguria vanitatis,& ineptiæ condemnavit lib.2. de Divinat. ut & D.Cyprianus, qui auguriorum ſuperſtitionem irridet in opuſc. de Idolorum vanit. *Non de religionibus ſanctis* (inquit) *nec de auſpiciis, aut auguriis Romana regna creverunt &c. Pullos edaces Paullus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt.*




1. ALBOGALERVS 2. APEX Tab. I
1
2
Ex antiquo marmore
S. 3.

1. 2. Ex antiquo marmore 3. apud I. P. Bellorum S. S.

PRÆFERICVLVM *Tab. 8.*

Ex antiquo marmore

S. B.

BIBLIOTECA
CHALCIDENSIS

VAS AQVÆ OLVSTRALIS
Tab. 4.
In museo Io. Petri Bellori S.Z.

1. ASPERSORIVM 2. MALLEVS 3. 4. CVLTRI. *Tab. 5.*



Ex Antiquo marmore S. 3.


SECVRIS
Tab. 6.
Apud I.P. Bellorium
S.3.


COCHLEAR
SECES
1
PITA.
LIGVLA.
Tab. 7.
2
3
Apud I. P. Bellorium
S. 3.

ACERRA *Tab. 8.*



Ex antiquo marmore

S 3

THVRIBVLVM Tab. 9.



Apud D. Devvith S. 3.


TRIPOS
Tab. 10.
Ex antiquo marmore
S.B.

TRIPOS ÆREVS *Tab. II.*

Apud I. P. Bellorium S. Z.

TRIPOS ÆREVS

Tab. 102



Apud Em.^mum Card. Chigium 53.

CANDELA BRVM *Tab. 18.*



Ex antiquo marmore

S 3

DISCVS Tab. 14.



P. S. B. sculp. Ex Antiquo marmore S. 3.


SISTRVM ÆGYPTIACVM
Tab. 15
P. S. B. Scul. Apud Ill.mum D. Leonem Strozzium


SISTRVM ÆGYPTIACVM
Tab. 16.
In Museo
Io. Petri Bellorij S. Z.


SISTRVM ÆGYPTIACVM
Tab. 17
Apud F. cc. P.
Burghesium
S. 3.
P. S. P. sculp.


PATERA ÆREA Tab. 18
Apud I. P. Bellorium S. 3.
D. S. B. Sculp



PATERA ÆREA *Tab. 19*



P. S. B. Sculp. *Apud P. A. Rolandum Magnitum*

PATERA ÆREA Tab. 20

P. S. B. Sculp. Apud I. P. Bellorium. S. 31.

BIBLIOTHECA
CRACOVIENSIS

PATERA ÆREA *Tab. 21.*

P. S. B.

Apud M. A. Causeum de la Chausse Authorem. *S. 3.*

PATERA ÆREA *Tab. 22.*



P. S. B. Sculp. *Apud P. A. Rotundum Magnum* *S 3.*

PATERA AEREA Tab 23

Ex Schedis P. S. Bartoli S.Z.
P.S.B. sculp.

PATERA FICTILIS

Tab. 24.

P. S. B. Sculp. *Apud D. Devvith* S. 3.

PATERA ÆREA Tabr 25

In Tesauro Mediceo S. Z.



PATERA ÆREA
Tab. 20.
Apud P. Ferronum. N. 3.



PATERA ÆREA Tab. 27
Apud P. de Cavaleriis


CAVEA PVLLARIA Tab. 20
P. S. B. sculp. Ex antiquo marmore S 3.

ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO QUARTA
De tribus generibus Muſicæ Veterum inflatile, tenſile, ac pulſatile.

TABULA PRIMA.

1. *Alamus Paſtoralis*. Unde μόναυλος Tibia exorta, tum reliqua Organa conſequuta. Meminit Monauli in Thamyre Sophocles. Arundinea Tibia *Monaulos*, apud Athenæum lib. 4. & ex eo apud Bartholinum de Tibiis Vet. p. 38. ab Ægyptiis fertur eſſe inventum Oſiridis. Hac Tibia occinebatur Hymenæo. Amazones ad calamos * arma tractabant, teſte Marciano Capella lib. 9. & eodem Bartholino pag. 101.

* *Bartholinus, ibid. pag. 37.*

Fi-

Figura deſumpta ex Caducæo Tabulæ Iliacæ Matthæjorum, ab Aleandro illuſtratæ pag. 31. ex Apollodoro, & Iſidoro. Bartholinus de Tib. Vet. lib. 1. pag. 11. obſervat, ab Hygino affirmari, calamum, ſeu fiſtulam arundineam, inventum eſſe Mercurio traditum, lib. 3. cap. 6. pag. 210. In Sacris Litteris, Geneſ. cap. 4. verſ. 20. & 21. *Jabel fuit Pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum; & nomen fratris ejus Jubal: ipſe fuit Pater canentium cithara, & organo.* In Hebræo textu כנור ועוגב *Cinnor ve-Huggab*. A Septuaginta Interpretibus Græcè redditur ψαλτήριον, καὶ κιθάραν.

Obſervat R. P. Calmet Diſſert. in Pſalmos pag. 87. verbum עוגב *Huggab*, indicans inſtrumentum muſicum, reperiri quater in Sacris Litteris, nempe Geneſ. cap. 4. verſ. 21. Job cap. 21. verſ. 12. & cap. 30. verſ. 31. Pſal. 150. verſ. 4. & ab Interpretibus LXX. & a Vulgata reddi aliquando *Cythara*, aut *Pſalmus*, aut *Organum*. Cœterum frequentius reddi *Organum*: quo vocabulo non intelligi perfectum organum hydraulicum, aut pneumaticum, quibus nunc utimur; ſed calamos complures diverſæ longitudinis, cera, aut glutine ſimul junctos, non ſecus ac fiſtula, quam veteres Ethnici tribuunt Pani, Fauno, Satyris, &c. Organi origo petenda a fiſtulis ſingularibus, quas mythici dant Diis ſuis paſtoralem vitam exercentibus, Apollini, & Mercurio greges paſcentibus; uti etiam obſervavit Voſſius de origine Idololatriæ lib. 4. cap. 92. qui, ex Virgilii Ecloga 2. Pani datum illud inventum docet, &, ex Plinio lib. 7. cap. 2. Pan Mercurii fiſtulam Monaulon inveniſſe narrat; aliis etiam tribuentibus Fauno, aliis Idi, ſeu potius Daphnidi Paſtori Siculo repertori Bucolices, ex Diodoro Siculo in fine lib. 4. Hæc omnia per Græcorum, & Latinorum fabulas attributa Paſtoribus recentioribus, deprompta ſunt ex vera Hiſtoria Moſis, perperam ab Ethnicis percepta, ac transformata; ex qua appareret, cognatis inventorum Paſtoriæ artis, calamum, fiſtulam, organi rudimenta, ſeu Hebræum *Huggab*, eſſe tribuenda. Sunt enim, qui aliud calami genus a primis Paſtoribus repertum intelligant Hebræorum אבוב *Abub*, tibiam; etymologia deducta ex אביב *Abib*, calamo ſpicæ, quo etiam nunc pueri Paſtorum avenas tenues compingunt: de quibus

Virg.

Virg. Ecloga 1. Videndus Illustrissimus Huetius Demonstr. Evangelicæ Prop. IV. cap. 4. num. 2. pag. mihi 65.

2. *Ossea Tibia*. Nonnulli ex tibiis gruum factam putant, cum Plinio lib. 16. cap. 37. vel ex cervinis ossibus, indicante Barthio, Adversar. lib. 33. cap. 21. Thebani Ægyptii ex hinnuleorum ossibus tibias fecerunt; qui etiam reliquos Græcos docuerunt, tradente Athenæo lib. 14. Vide Bartholin. de tib. vet. lib. 1. cap. 4. pag. 23. Hanc etiam Tibiam osseam Minervæ tribuit Callimachus in hymno Dianæ, ibidem relatus,

Nondum hinnuleorum ossa perforata erant,
Opus Minervæ, ex quo cervis pernicies.

Figura Tibiæ osseæ, quam mythici tribuunt Minervæ, cui alteram Marsyas adjecit, ex Plinio lib. 7. cap. 56. petita est ex tibiis Marsyæ in pluribus anaglyphis expressis: sed quoniam evidentius extat in marmoreo anaglypho Neapoli asservato in ædibus Principis Diomedis Carafæ, olim Comitum Magdalonensium, nos inde maluimus eandem figuram desumere. Vide etiam Bonar. Num. Carpin. p. 368.

3. *Buxea Tibia*. Nihil ferme differt a figura præcedenti, cum tantum materies diversa sit; sed, cum torno elaboretur, potest a forma Tibiæ ex cruribus animalium nullo torni adjumento levigatis & imminutis paulisper dirigi, & repando orificio donari. Hanc vidimus expressam cum Panis fistula, & cum Phrygia Tibia recurva in anaglypho Romæ spectato, editoque per Boissardum tom. 3. pag. 47. & per Bartholinum de Tib. Vet. tab. I. Ovidius in *Fastis*:

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, Tibia longa sonos.

Figura occurret rursus num. 5. & 7.

4. *Ærea Tibia*, quæ & militaris, quali nunc utuntur Helvetici milites Prætoriani etiam Romæ, æqualis est, & calamo similior. Usæ hac feruntur Amazones, dum arma tractarent, asserente Marciano Capella, uti retulimus supra num. 1. cum Bartholino. Usi Tibiarum ejusmodi sonitu ad pugnam etiam Lacedæmonii, Tyrrheni, Thebani, aliique Populi, ut ibidem ostenditur a Bartholino. An & Romani a Rege Servio Tullio, classes, & Centurias instituente? Livius di-

dicitur affirmare lib. 1. cap. 43. cum narret, ab eo Rege in quinta claſſe cenſitos Accenſos, Cornicines, Tibicineſque, tres in Centurias diſtributos: unde paſſim in lapidibus Romanis, & Hiſtoricis Tibicines memorantur. In expeditione Dacica Trajano ſacrificanti Tibicines occinunt, expreſſi num. 75. in ejus Columna cochlide. Sed Vir Clariſſimus Fabrettus negat, inter Officia militaria Romanorum Tibicines memorari; & Livii textum, a Sigonio caſtigatum ex emendatioribus codicibus, Tubicines ſociare Cornicinibus, & accenſis, non Tibicines. Conſulendus Fabrettus de Columna Trajani, pag. 206. Lipſius lib. 4. de Militia Romana, etiam Tyrrhenis Tubas tribuit in militia, non vero Tibias. Fuerit igitur Lacedæmoniorum tantum bellica Tibia, eadem certe utuntur hodie Helvetii, & quidem ærea; qualia Romanis fuerant univerſa inſtrumenta militaria, quorum cantu accenderentur ad pugnam, tradente Lipſio lib. 4. de Milit. Rom. pag. mihi 312. Unde Æneatores dicti genus univerſum ejuſmodi, buccinis, tubis, cornicibus, lituis inflandis deputatum. Figuram ex Helvetica retinendam duco, utpote ab antiquis ſaltem Lacedæmoniis uſurpatam. En marmor antiquum anno 1733. repertum;

M. CVRIVS . EVPOR
TIBIARIVS . DE . SACRA . VIA

5. *Tibia Phrygia Matris Deûm*, ex calamo; cum adjuncto cornu leniter inflexo. Hiſce Tibiis recurvis utebantur Antiqui in Sacris Matris Deùm; ut oſtendit, cum vetuſtis Scriptoribus, etiam anaglyphum relatum inter admiranda urbis Romæ, fol. 17. Inde Imaginem deſumpſi, cum Bartholino pag. 26. tab. I. num. 2. Similem vides etiam num. 3. ejuſdem tab. I. Bartholini, deſumptam ex Boiſſardo Tom. 3. pag. 47. Bartholinus cornu vitulinum fuiſſe docet, pag. 26.

6. *Fiſtula Panis*, ſeu *Syringia*, ex pluribus calamis diverſæ longitudinis ſimul junctis, ut, circa neceſſitatem excavandi plura foramina in eodem tubo ſeu calamo, ſoni diverſi, labro per diſpares calamos percurrente, ederentur. Quare Lucretius lib. v.

Et ſupra calamos unco percurrere labro.

Viſitur in compluribus ſignis anaglyphis, & picturis referen-

rentibus Pana, Atym, Pastores. Ex ara vetusta Matris Deûm, cum Atyde edidit Boissardus Tom. 3. pag. 47. quæ imago recusa nuper est in nova editione Gruteri Antiquitatum Tom. 1. pag. 27. Inde hanc figuram desumpsi cum Bartholino, de Tibiis Veterum tab. 1. num. 3. & 8. Ante Ethnicorum fabulas inventas, vidimus supra num. 1. ejusmodi organum, aut organi rudimentum, a filiis Jubal usurpatum, dici in Sacris Litteris עוגב *Huggab*.

7. *Tibiæ longæ*, & *Spondiacæ*, sive *Spondiales*, Isidoro ad hymnos idoneæ, qui a supplicibus in Templis canebantur. De his Bartholinus, ex Mario Victorino, pag. 45. Figuram expressimus ex pictura veterî Pyramidis Gestiæ, impressa in recenti editione Romæ veteris Famiani Nardini, & a Petro Sancte Bartoli inter picturas veteres, fol. 65.

8. *Tibiæ pares*. De quibus Bartholinus pag. 48. ex Scaligero, aliisque Scriptoribus. Figura visitur in Sarcophago Matthæjorum in Monte Cælio, Musas exhibente. Sponius edidit Miscell. pag. 44. ubi Musæ Terpsichoræ is attribuit calamos, seu pares Tibias potius appellandas, ut ex materia, & figura constat; hic a nobis adamussim ex prototypo delineatas. Materiam demonstrant fragmenta tria ejusmodi Tibiarum, paucos ante annos reperta in antiquo sepulcro Vineæ Moroni ad Portam Capenam, intra Urbem. In his fragmentis, tubus interior Tibiæ est eburneus, externe contectus tenui lamina argentea, in quo tubo foramina supersunt ita disposita; ut anaglyphum Matthæjorum exacte monstrat, quod nunc extat in Academia Etrusca Cortonensi. Tibias longas sepulcris adhibitas, sed latiores, ostendit, ex Galeno, aliisque auctoribus antiquis, Bartholinus pag. 158. Æquabiles, & calamis communibus sive arundinibus crassitie, & tubi continuato commensu respondentes, anaglyphum illud exhibet, ex quo figura nostra desumpta est. Quare pares Tibias, & calamos Musa illa cum teneat, Clio dicenda potius est cum Horatio, acrem Tibiam illi tribuente, nempe acutum sonum edentem; quemadmodum ex vocis etymo intelligimus, & in notis legimus ad Odem XII. lib. 1.

Quem virum, aut Heroa, lyra, vel acri
Tibia, sumes celebrare, Clio?

Heroum vero, & Clarorum Virorum laudibus celebrandis deputatur Clio; quorum adhibentur in ſacrificiis, & in ludis Tibiæ pares: tum in ludis, inquam, tum in ſacrificiis, ubi ſcilicet funebres eorum memorias indicari obſervat Tertullian. lib. de Spectaculis cap. 2. 6. & 9. *A templis, & aris*, inquit, *& illa infelicitate thuris, & ſanguinis, inter tibias, & tubas itur, duobus inquinatiſſimis arbitris funerum, & ſacrorum Deſignatore, & Haruſpice*. In ſacrificiis, perinde ac in ludis ſcenicis Ethnicorum, Tibiæ pares exhibentur paſſim: & memorantur illis perſimiles, quas ex anaglypho Matthæjano hic retulimus.

9. *Tibiæ paxillis inſtructæ*. De quibus Bartholinus pag. 42. qui figuram addidit Tab. I. num. 5. ex anaglypho Trivultiano, apud Gruterum. Occludenda, vel recludenda foramina pro varietate ſoni acutioris, aut gravioris; juxta modos diverſos attemperandi. Vide Ficoron. *le Maſchere Sceniche* Tab. 77. pag. 169. & Bonar. Num. pag. 368.

10. *Tibiæ biſores*. Ab Antiquitatibus Romanis Boiſſardi figuram mutuatus eſt Bartholinus Tab. I. num. 4. Expoſuit vero pag. 28. Eaſdem quoque vocat, cum Statio, *Tibias conjunctas*.

11. *Tibiæ geminæ*, deſcriptæ ex cippo ſepulcrali Choraulæ per Fulvium Urſinum, a quo Bartholinus deſumpſit Tab. I. num. 6. & explicavit pag. 46. ubi etiam indicat aliud Urſini marmor, a ſe inciſum Tab. II. num. 1. in quo Choraula utraque manu geſtat geminas Tibias, ſingulis ſingulam. Eadem figura hic reperitur. Vide Ficoroni opus *delle Maſchere Sceniche* pag. 29. & 218. Tab. 84.

TABULA II.

12. *Tibiæ Utricularia*, ſive *Utriculares*, quæ noſtris paſtoribus, & meſſoribus paſſim adhibentur. Ab antiquis pariter uſurpatas noſcimus ex Svetonio in Nerone, cap. 14. Vide Voſſii Lexicon Etymologicum in verbo *Utricularius*, quem a Varrone *Pythaulam* dici obſervat. Ejus figura exſtat in ænea icuncula antiqui operis, exhibente paſtorem utriculari tibia canentem, in Muſeo Albano, & in gemma

ma apud Ficoronum, *delle Maschere* Tab. 83. pag. 214.

Figura hujus Tibiæ Utricularis desumpta est ex antiquo anaglypho marmoreo in zophoro supra columnas porticum fulcientes in impluvio ædium Principis Sanctæcrucis prope Ecclesiam S. Caroli ad Catinarios.

13. Subjecimus *Organum Pneumaticum* Tibiæ Utriculari, cum ad genus utricularium Tibiarum pertinere videatur. Olim hydraulicum fuerat, vento excitato per lapsum aquæ præcipitem, eoque perducto ad tubos, seu calamos syringiæ: mox, adjumento follium, compendiosius evasit organum pneumaticum, per eosdem inflatile. Visitur pneumaticum organum in nummis *contorniatis*, ut vocant, insignitis imagine Neronis. Eorundem iconem protulit Patinus ad Svetonii cap. 41. vitæ Neronis, pag. 304. & vidimus apud Antonium Borionum Romanum. Panvinius de Ludis Circensibus, pag. 58. describens parallelopipedum; seu stylobatem Obelisci Constantinopolitani, ejusdem meminit, Tab. 19. Ante illa tempora fuit etiam Chorus, instrumentum ex simplici pelle cum duabus cicutis æreis, quarum per primam inspiratur aer, qui per secundam emittit vocem; uti legimus in epistola ad Dardanum Hieronymo attributa. Videndus ea de re Scaliger in notis Eusebii ad annum MDCCCCXCV. pag. 169. col. 2.

14. *Tibia Siticinium latior* ex cornu, ad funera plerumque adhibita, de qua Statius Thebaid. lib. 6.

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum deducere manes,
Lege Phrygum mœsta Pelopen monstrasse ferebant
Exequiale sacrum &c.

Videndus Bartholinus lib. 2. cap. 15. qui Kirchmanno, de Fun. Rom. lib. 2. cap. 5. Tibias illas latiores, ac longiores visas fuisse observat, licet Cares in luctu uterentur gingrinis palmi longitudine, stridulum quid, ac luctuosum sonantibus.

Figura Tibiæ latioris visitur in Virgilio Vaticano Æneid. 1. ubi ventis tempestatem excitantibus assignantur Tibiæ latiores, & corneæ, apprime accomodatæ sono procellæ graviori exprimendo. Vide novam Editionem

Virgilii, apud Calcographiam Pontificiam, anno 1741.

15. Hebræorum קרן *Keren*, cornu, hac in figura mihi expreſſum, protulit ante P. Kircherius Muſurgiæ lib. 2. cap. 4. §. 3. pag. 54. auctoritate veteris Codicis Vaticani, unde a ſe deſumptam imaginem aſſeverat, In Vitris antiquis Cœmeteriorum SS. Martyrum, ubi arca, ſeu armarium exhibetur, cum voluminibus Legis, necnon candelabrum ſeptilychne, & alia Sanctuarii inſtrumenta, viſitur etiam קרן *Keren*, ſeu cornea tuba Sacerdotalis, adhibita ad indicandos dies Feſtos. Videri poſſunt figuræ in erudito Commentario a Senatore Philippo Bonaroti Florentiæ edito paucos ante annos, ubi eadem vitra mirifice illuſtrantur, præſertim Tab. II. num. 5. & Tab. III. num. 2.

16. *Lituus Militaris*, ex metallo efformatus ad ſimilitudinem cornu, ſæpe occurrit in Columna Trajani, præſertim pag. 7. & 41. &c. ubi adhibetur in ſacrificiis, una cum Tubis Liticinum. Cornicinum Collegium memorat lapis antiquus apud Bartholinum de Tib. Vet. lib. 3. cap. 7. pag. mihi 238. & Fabret. de Columna Trajani cap. 7. pag. 203. in quo eſt figura excuſa Litui, ſive cornu ejuſdem, ex ære recurvo, ut Vegetius appellat, lib. 2. cap. 8. Similis expreſſus in Columna Trajani num. præſertim 56. & 84. unde noſtra figura deſumpta fuit. Vide Tab. III. ejuſdem Bartholini num. 4.

17. *Cornu Venatorium* ex metallo, ad ſimilitudinem cornu animalium inflexum, latiori pariter orificio donatum. Figuræ paſſim occurrunt in vetuſtis anaglyphis, & picturis, præſertim ubi venatio adhibenda eſt.

18. *Buccina*, una cum tubis, & cornu ſeu lituo jam deſcripto, ad prælium ineundum ſignum dabat. Vegetius loco indicato, apud Bartholinum pag. 287. *Tubicines*, inquit, *Cornicines*, *Buccinatores*, *qui vel tuba*, *vel ære curvo*, *vel buccina committere prælium ſolent*. Quare, præter Tubicines, & Cornicines, etiam Buccinatores in antiquis Inſcriptionibus memorantur, ex quibus *C. Salius Maternus Buccinator Legionis* v. Aliud marmor apud Gruterum pag. 609. & Bartholinum pag. 226. Buccinam, ad tubæ genus, cum Euſtathio, reducit Lipſius, de Milit. Rom. lib. 4. Dialogo 10. pag. mihi 309. qui tamen addit ex Hygino, buccinæ primum inventorem

Tyr-

Tyrrhenum Herculis filium, qui concha pertusa buccinavit. Hygini verba sunt, fab. 273. *Tyrrhenus Herculis filius tubam invenit, qui concha pertusa buccinavit, & pagum convocavit, testatique sunt se mortuum sepulturæ dare. Unde tuba, Tyrrhenum melos dicitur: quod exemplum hodie Romani servant; &, cum aliquis decedit, Tubicines cantant, & amici convocantur, testandi gratia, eum, neque ferro, neque veneno periisse.* Præter usum in funeribus; etiam in civili politica ad populum classico convocandum usus Buccinæ fuit; quam Tyrrhenus adinvenit, conchilio classicum canens, unde solet Tritonibus assignari. Vide lucernas Bartholi part. 1. num. 5. Borioni erudita Collectan. Rom. Antiq. & Bellorii explicationem, ubi scite adducit ex Ovidio Metamorphoseωn 1. hanc descriptionem buccinæ Tritoniæ.

Cæruleum Tritona vocat, conchaque sonanti
Inspirare jubet, fluctusque, & flumina signo
Jam revocare dato. Cava buccina sumitur illi
Tortilis in latum, quæ turbine crescit ab imo
Buccina, quæ in medio concepit ubi aera ponto,
Littora voce replet sub utroque jacentia Phœbo.

Figura nostra desumitur ex ænea Tritonis imagine antiqui operis, quam servo. Frequentes occurrunt hæ turbinatæ Tritonum buccinæ in anaglyphis, & picturis Veterum, referentibus symbola Numinum Maritimorum. Solebant autem, ut alibi observabam, *Historiæ Universalis* Decade 3. cap. 24. num. 5. pag. 301. & seq. Tritonum signa buccinas inflantium imponi fastigio ædis Saturni, ad indicandam ætatem, unde historia vocalis est. Ritum, & causam aperit Macrobius Saturnalium lib. 1. cap. 8. *Illud*, inquit, *non omiserim, Tritones cum Buccinis fastigio Saturni ædis superpositos, quoniam ab ejus commoratione ad nostram ætatem historia elata, & quasi vocalis est, ante vero muta, & obscura, & incognita.*

19. *Corneam tubam*, seu Tibiam rectam, cum labro repando, ita describit Sacchius Myrotheciæ lib. 3. cap. 57. & ex eo Kircherius in Musurgia, & Bartholinus lib. 1. cap. 5. cum ligula, & foraminibus in buxea parte Tibiæ, cui repandum ex cornu labrum adjectum, cera, & glutine, aut helice firmiter in situ continetur. Figuram inde sumpsimus; rati,

ti, ex antiquo codice, ut Kircherus lib. 2. cap. 4. pag. 54. innuit, fuiſſe delineatam, cum Hebræorum חליל *Halil* Tibia, אבוב *Abub* Fiſtula, & קרן *Keren* Cornu. Cornea buccina ad convocandum cœtum uſos fuiſſe non modo Hebræos, ſed etiam Etruſcos, qui, ex Phœnicibus orti, pleraque illius Regionis inſtituta in Italiam traduxerunt, & ad Latinos derivarunt ætate Romuli, & conſequentium Regum, colligunt Eruditi, cum Bartholino de Tib. Vet. lib. 3. cap. 7. pag. 226. ex Propertio lib. 4. Eleg. 1.

Buccina cogebat Priſcos ad verba Quirites.

(Vide Cll. VV. Scipionem Maffejum *degl' Itali primit.* & Ant. Franc. Gorium *in Muſ. Etruſc.*) Quam ſcilicet ex bubalo cornu tum ipſi, tum Paſtores adhibuerunt, ut ibi interpretatur. Conteſtis eſſe poteſt vetuſtiſſimum opus muſivum Templi Fortunæ Prænestinæ, in quo ſpectantur ſub tentorio Ducis appenſa complura cornua ad convocandos milites; unde *Buccinatores Legionum* in vetuſtis Inſcriptionibus memorantur apud Gruterum pag. 609. & *Cornicines* pag. 1106. eorumque Collegium in marmore Romano per Bartholinum edito pag. 228. cum figura:

M. IVLIVS . VICTOR
EX . COLLEGIO
LITICINVM . CORNICINVM

Quare & Valerius Flaccus cecinit lib. 6.

Prælia nunc rauco curant incendere cornu.

Videri poteſt ea pars muſivi Prænestini apud Suareſium, Prænestis antiquæ pag. 48. Simillima figura præditum eſt cornu Hebræorum קרן *Keren*, quod, in ſacris Martyrum cryptis auropictum antiquitus, vidimus in Vitris ibidem effoſſis, quæ arcam Hebraicæ Synagogæ exhibent cum ſacris voluminibus, candelabrum, aliaque pertinentia ad ſuppellectilem Sanctuarii; inter quæ cornea tuba, ſeu קרן *Keren* viſitur, uti obſervat eruditiſſimus Senator Philippus Bonaroti in libro Obſervationum nuper edito, in ea ſacra Vitrorum ſymbola. R. P. D. Auguſtinus Calmet in præfatione in Pſalmos pag. 85. ſcite diſtinguens tubarum genus, nomine שופר *Schophar* in Sacris Litteris enunciatum Exodi cap. 19. verſ. 16. & 19. item cap. 20. verſ. 18. (quod Interpre-

pretes LXX. reddunt, σάλπιγξ, aut σάλπιγξ κερατίνη *Tuba*, aut *Tuba* cornea (ab argenteis Tubis rectis duabus, æreiſque pluribus, quas in Deſerto conſtrui Moyſes mandavit Numerorum cap. 10. verſ. 2. 9. & 10. appellatis חצוצרות *Chazozeroth*. (vide Reland. Antiq. Hebræorum pag. 206.) optavit, ut producerentur vetuſtæ imagines generis prioris, cornu ſcilicet, ſeu tubæ corneæ, & *Schophar*; præſertim cum Sacerdotibus reſervatum videretur ejuſmodi cornibus canere, qualium ſeptenis, circa Jericho cum Sacerdotes canerent, muri conciderunt, & quorum uſus erat in Jubilæo, Joſue cap. 6. verſ. 3. 4. 5. In iis Cœmeteriorum vitris, eorumdem cornuum muſicorum figura viſitur; cum ad cornu olei unctionis complura illa referri queant, quæ ibidem ſpectantur: & cæteroquin muſivum opus Prænestinum nos doceat, ad bellicos uſus ſimilia cornua ſub tentoriis aſſervata, ad claſſicum concinendum.

Paulo etiam longiora cornua bellica, eaque parum inflexa, ſpectantur in clypeo votivo argenteo Scipionis Africani, aſſervato Pariſiis in Regio theſauro, & per Sponium edito in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis. Tale igitur קרן *Keren* Judæorum Cornu, שופר *Schophar* Tubam corneam, haberi oportere, inde colligimus. Figura *Chazozeroth*, ſeu tubarum rectarum, ſupereſt in Arcu Titi, quam damus numer. 21.

* Cornua graviſona, quemadmodum ex Vitulino cornu *Schophar*, & *Keren*, ſcilicet Cornua bellica, & Tubæ corneæ compingebantur; ita ex amplioribus majorum animalium cornibus, aut ex metallo ductili, aut ex cavis lignis contortarum cucurbitarum in morem arte curvatis, & magnitudine ingenti præditis, fiunt nunc Buccinæ, aut cornua ſoni graviſſimi, quæ *Dulcinos* appellant. Eorundem uſus in ſacris viget, præſertim in Gallia, & in Germania. An ejuſmodi Buccinis Antiqui uterentur, ex eorundem monumentis mihi non conſtat. Graviſſimi ſoni buccinam Ovidius Tritoni aſſignabat ſupra num. 17. * *Vide n.* 17.

. . . . . *quæ*
Littora voce replet ſub utroque jacentia Phœbo.

Auris quoque Dionyſii apud Syracuſas, amplitudine ſua ſatis

ſatis declarat, non deſtitiſſe etiam veteres ab inſtrumentis ſonorum ampliſſimis aliquando excogitandis, & perficiendis; licet noſtræ acuſticæ tubæ nondum eſſent repertæ. Quare figuram cornu graviſoni tot in regionibus ad ſacra adhibiti ex aliquo ritu, placuit inter eas referre *, quas a vetuſtis monumentis colligendas ſuſcepi.

* *Num.* 17.

TABULA III.

20. D*Ulcinum* non retortum damus ex eodem Kirchero pag. 500. cujus pariter uſus viget etiam in Gallia Ciſalpina. Inſerta illius orificio tenui lamella, quæ gingynen æquat Phœnicum, & Carium. Quinetiam Sinæ, deſcribente (ut infra exponemus num. 24.) Jo. Calvor, ejuſmodi generis inſtrumento ludunt, quod indicium eſt antiquitatis non modicæ apud Gentem veterum conſuetudinum ſuarum omnium tenaciſſimam. Cœterum vetus icuncula ænea apud me Dulcinum gerit leniter inflexum.

21. *Tuba communis*, ſeu recta, quam primum compoſitam fuiſſe ex Tibia, & cornu vidimus ſupra num. 19. deinde unico ductu ex eodem metallo continuatam poſteri adhibuerunt, æream, vel argenteam. Argenteas Tubas duas in Deſerto conſtructas, mandante Moyſe, dictas חצוצרות *Chazozeroth*, Numerorum cap. 10. vidimus dicto num. 19. Eaſdem Joſephus deſcribit, indicata etiam menſura, & forma, Antiquitatum Judaicarum lib. 3. cap. 11. Romæ vero in Arcu Titi, cum ſuperſit earundem figura ibidem ſculpta, una cum candelabro, & menſa, aliiſque Sanctuarii vaſis, dum ea omnia in Judaico triumpho inferrentur in Templum Pacis, inde curavi deſumere exemplum (quod retulit etiam Relandus in Antiquit. Hebraic.)

22. *Tuba ductilis*, ad ſonorum varietatem eliciendam, geminis ad oram parallelis lamellis productis, vel decurtatis. Hac tuba hodieque utuntur in ſacris concentibus nonnulli Italiæ Populi, uti Bononiæ vidimus, imo & Romæ videmus in Arce Sancti Angeli, ſolemniter procedente Summo Pontifice, & Cardinalibus, concini. *Tubas ductiles* Vulgata memorat Pſalm. 97. verſ. 7. Septuaginta legunt ἐν σάλπιγξιν ἐλα-

ἐλατὴς, καὶ φωνῇ σάλπιγγος κερατίνης, & textus Hebræus שופר כהצוצרות וכל *in Chazozeroth, & omni Schophar*. Aliæ lectiones exponunt, tubam ductilem Vulgatæ idem indicare, ac malleo ductilem; vel nenus omne tubarum in שופר כל *Chol Sophar* complecti voluisse Psalmistam. An inter ductiles malleo tubas Antiqui habuerint etiam has decurtandas, & elongandas pro soni varietate, quas *ductiles* idcirco appellare placuit, ex Antiquorum monumentis hactenus est inexploratum.

23. Sinensium *Organum* πολύαυλος hic exprimitur a nobis, sive avena vitricularis. Avenam potius, quam tibiam appellaverim, ex subtilitate tuborum, quibus sonus editur. Sunt vero tubuli inserti pelli ad utriculi formam compactæ, & follium in morem comprimendæ; ut spiritus inde exclusus sonum emittat. Organo ejusmodi in Europam inde perlato ludentem vidimus anno 1685. Cinsochum, Sinensem illum virum, quem R. P. Philippus Fouquet (obiit Episcopus anno 1740.) habuit socium navigationis in Europam, & sacro fonte expiatum Michaelem appellavit, Romamque perduxit. Sinarum historiæ memorant, Fohio ejus gentis Imperatorem sæculo undetrigesimo ante æram Christi communem fuisse inventorem primi instrumenti Musici, ab se instructi chordis 36. Num chordarum numerum, & sonos in polyaulio utriculo totidem calamis prædito imitati sunt Posteri, mihi non liquet. Reddendam esse judico formam instrumenti, quod antiqui inventi Musici apud Orientales fidem adstruit, etiam cum nostrorum auctorum vetustissimis comparatum. cum ibi avenæ, & utricularis organi, pastoralis scilicet vitæ prima levamenta dignoscantur.

24. En aliud Sinensium organum, Dulcino Europæorum persimile, quod Sinensium *Dulcinum* lubenter appellaverim. Genus hoc tubæ gravissimæ, a nostris, ut vocant, *Fagotti*, non admodum diversum, a Sinarum Musicis adhiberi, docet Caspar Calvor Ritualis sui, parte 2. sect. 5. cap. 20. pag. 693. ubi recensens tria genera organorum, Pulsatile, Enchordum, & Pneumaticum, in singulis exhibet Sinarum inventa æneo iconismo; ubi, inter cæteras figuras, adstat accinenti senex, latiorem tibiam, *Fagottis* nostris sive Dulci-

nis conferendam, manu geſtans. Inde placuit repetere poſtremam hanc ſpeciem organi pneumatici, ne Gentis inter Orientales antiquiſſimæ, &, ab ætate Diluvio Noetico proxima, origines artium ſuarum repetentis, inventa Muſica omitteremus hoc in Catalogo.

TABULA IV.

1. 2. *Monochordum*, ex anaglypho antiqui ſarcophagi in terra Deſenzani ad lacum Benaci: quod ex arcu ſororis Dianæ inveniſſe Apollinem tradit Cenſorinus, de die Nat. cap. 22. Ariſtides Quintilianus, inter antiquos Muſicos editus à Meibomio, ex ponderum appenſione tonos in Monochordo inventos affirmat, lib. 3. pag. 12. Deſcribitur Monochordon à Guidone, relato à Kircherio lib. 4. cap. 2. ut in hoc anaglypho, quod exhiberi videtur alia tabula marmorea apud Authorem.

3. *Dichordum*, ex eodem anaglypho. Dichordum nominat Sopater, apud Cœlium Rhodiginum lib. 9. cap. 4. & *Pyctidem*, ſeu *Pactidem* vocat. Retulit Athenæus lib. 4. cap. 24. Dichordon Aſſyriis tribuitur à Clemente Alexandrino Stromat. lib. 1. pag. 307.

4. *Lyra trichordis*. Apollini Clatræ in anaglypho relato à Sponio Miſcell. pag. 87. trichordis Lyra tribuitur. A Polluce, dicitur *Panduria*. Vide Gloſſar. med. & infimæ Latinitatis. Figuram Lyræ deſumpſimus ex Lyra Amphionis, in antiqua ſculptura Dirces, aſſervata in Palatio Farneſiano. Chordæ ibi deſunt. Tres ex Lyra Apollinis Clatræ apud Sponium addidimus. Lyram trichordem etiam Mercurio tribuunt Ægyptii. Videatur Cæſius, in Cœlo Aſtronomico pag. 187. & Diodor. lib. 1. & collectanea Lyrarum Equitis Petri Leon. Ghezzi ab ipſo delineata in ſuo Muſeo.

5. *Tetrachordum*. Citharæ ſpecies, quale Anacreontis eſt Barbyton. Lyra tetrachorda Mercurio tribuitur à Macrobio Saturnalium lib. 1. cap. 19. Nicomachus Geraſenus apud Boetium lib. 5. Muſices, affirmat Mercurii Tetrachordum uſque ad Orphea retentum, cui traditum à Mercurio ferunt. Lyram Phœniciam tetrachordem fuiſſe, narrant Auctores re-

relati à Cæsio in Cœlo Astronomico Poetico, in Asterismo Lyræ, & à Cœlio Rhodig. loco indicato, aliisque apud Bochartum, de lit. & serm. Phœnicum lib. 2. cap. 7. Confirmant à Phœnicibus inventum posteris illius Chanaan, ex quo Mercurium suum procuderunt Græci fabulatores. Orphei Lyram tetrachordem ex antiqua pictura Cœmeterii S. Callisti Pont. ab Aringhio editam Romæ Subt. Tom. 1. pag. 563. hic expressimus. Eodem Tom. pag. 547. Orpheus cum Lyra pentachorda exhibetur. Cum asserant mythologi, Apollinis beneficio auctum fuisse vetus Mercurii, & Orphei tetrachordum ad septem chordas, quintam, reperit Choroebus Lydiæ Regis filius; sextam, addidit Hyagnis Phryx. Videatur Cœsius pag. 186. Aliud anaglyphum Villæ Matthæjorum reddit Poetam canentem Lyra pentachorda, ad hujus imaginem efformata.

6. *Lyram acutam septem fidibus* hæc figura exprimit, juxta exemplar Globi cœlestis Farnesiani antiquitus insculpti omnibus Asterismis ætate Antonini. Lyram Apollinis aliqui dicunt, ex Macrobio Saturnal. lib. 1. Vide Aleandrum in expositione anaglyphi Solis pag. 36. Alii appellant Lyram Mercurii, ut Scaliger advertit ex ejus Hymno, in Comment. ad Sphæram Manilii pag. 380. Septichordem fuisse Lyram Orphei, canit Virgilius lib. 6. Æneid. Vide Cœsium in explicatione Asterismi Lyræ.

Lyræ posterioris, quam scilicet, adjecta testudine Mercurii posteriores ætates usurpavere, figura desumpta est ex antiqua lucerna Bartoli, part. 2. num. 14. exhibente Apollinem hac Lyra ludentem, quæ cithara dici potest, ut num. 8. 9. 10.

7. *Chelys*, seu Lyra Mercurii reformata, retenta testudine, & contractis cornibus in manubrium, excipiens magades complures ad sonos ejusdem chordæ variandos. Figura visebatur in veteri anaglypho Nosocomii Lateranensis, hodie spectanda in Ædibus Justinianæis, edito per Boissardum Tom. 2. p. 145. & in Editione nova Gruteri pag. 819. Et plectro, & digitis tangebatur. Vide Scalig. in Manil. pag. 384. Plectri figuram vide post numerum 8. lit. A Cithara etiam dicitur. Vide Scalig. pag. 383.

8. Hæc figura desumpta est ex anaglypho in Ædibus

Emi Cardinalis Spadæ, exhibente Amphionem cum hac *Cithara*.

TABULA V.

9. ISTam figuram in anaglypho Solis apud Matthæjos, explicavit Commentario eruditiſſimo Aleander pag. 7.

10. Hæc quoque figura expreſſa videtur in eleganti anaglypho Excell. D. Alexandri Albani (modo Ampliſs. Cardinalis) cum cæteris ſymbolis Apollinis. Has vero *Citharas* appellari, adeoque diſtinctas eſſe à Lyra, & teſtudine Mercurii, colliges ex Scaligero in Manilium pag. 380. Poſſet & illa appellari cithara, quam num. 5. exhibebam, cum careat teſtudine. Operoſior cithara viſitur in veteri Sarcophago Matthæjorum Muſas exhibente, edito à Sponio Miſcell. ſect. 2. art. 9. pag. 44. de qua infra, numero ſequenti. Citharam, ut in figura 5. (pluribus tamen chordis inſtructam) Chiron tenet, Achillem inſtituens, apud Fabrettum, in addit. ad Tab. Iliac. pag. 357. & à Sirenæ manu tractatam refert ejuſdem formæ, ibid. pag. 379.

11. *Triplex Lyra Pythagoræ Zacynthi*, conſtituta in totidem faciebus tripodis. Deſcripſit Athenæus lib. 14. cap. 15. cum triplici modo harmoniæ, Dorico, Lydio, Phrygio. Verſatilem tripodem fuiſſe, ut melos variaretur mira facilitate, tradit Athenæus. In anaglypho Sarcophagi Matthæjorum, citharâ, quam num. 5. in manu Euterpis exhibet Sponius (licèt in exigua mole figuræ, apud eundem non ſatis dignoſci poſſit artificium organi, ut in marmore viſitur) tres modos compendioſius ſtatui potuiſſe, facile deprehendi. Nam ſiniſtra manus Muſæ, longiores chordas tractans, Doricum canere potuit; interea dum dextra manus plectrum tenens, percuteret chordas breviores ſupra magadem, ex calamis ſuperne junctis ad jugum citharæ facile extenſiles, & ſupra, parem numerum fidium mediocrium; quæ ex eadem magade introrſum duci * numero fidium poſſe pleriſque reſpondere compertum erit; præſertim cum eadem retenta, meminerimus apud eos populos, qui reſcindi abundantes chordas Magiſtratuum Edicto juſſerant.

* *Emendet felicior aliquis. Vide infra pag. 32. in fine.*

Endecachordem Lyram Timotheo adinventam memorat Sca-

Scaliger pag. 384. in Manilium; cui par ignominia, ac Phrynidi contigit, ex Ephororum decreto, quod recitat acceptum à Boetio in 1. de Musica. Productus scilicet in Comitium, jussus est manibus propriis quatuor superfluas chordas amputare, ut septem priscæ tantum eadem in Lyra supereſſent.

Dodecachordon, *Nablium*, hoc est Psalterium, describimus infra pag. 35. ex Josepho Antiquit. Jud. lib. 7. cap. 10.

Neutrum organum à Davidico Psalterio decachordo separamus genere, ex placito Euphorionis, complexi unicam speciem πολύχορδον, variis hisce nominibus, exiguo chordarum numero discrepantium: ac eorum usum esse antiquissimum statuentes, asserimus cum Strabone esse ab Asia repetendum.

Confirmat sententiam Anacreon, qui ludere se canit magade chordis 20. instructa, quas Athenæus 21. fuisse contendit. Chordas decem à Davide numeratas suo in Psalterio, Fulgentius in Apollinea etiam describit; quòd humanæ vocis decem esse modulamina dicat, ut animadvertit Aleander in Expositione Tabulæ Solaris pag. 37.

Cæterum excrevisse numerum fidium, supra tres septenas Anacreontis, ad triginta, vel etiam plures, quæ ab aliquibus Scriptoribus memorantur, mirum non est; cum in octavis repeterentur divisiones diatonicæ, & enharmonicæ præcedentium . . . . . Quin ex ea animadversione, quam Athenæus adhibuit ad magadem Anacreontis explicandam, una & viginti chordis instructam tria in heptachorda ordinatis, si conferatur cum figura organi adhuc superstite in Anaglypho Matthæjano ad Montem Cœlium, edita per Sponium pag. 44. & à me diligentius ex prototypo expressa num. 11. conciliatur mirifice sententia Athenæi de triplici heptachordo, unicum in organum, aut citharam, seu barbyton compacto; & intelligitur Psalterii, magadis, ac Lyræ figura, & triangulorum musicalium, ab Athenæo ex Apollodori epistola ad Aristoclem memoratorum, & affinitas hujusmodi instrumentorum. In eo anaglypho Musa, num. 5. distincta apud Sponium, & *Euterpis* nomine ab ipso donata, barbyton ita tenet, ut, sinistro brachio organum illud quasi complexa, manûs lævæ digitis carpat chordarum lon-

longiorum ordinem in poſtica organi parte extenſilium : dextra verò manus plectro armata, ita applicatur interioribus fidibus barbiti, ut ordinem duplicem pulſare velle videatur, alterum ſuperne extenſilem in horizontali ſuperficie magadum, alterum inde penſilem, & ad internam baſim, ſeu βατῆρα protenſum, licet chordæ in ea ſculptura non ſint expreſſæ. Organi conformatio, & manuum poſitus, eaſdem ſatis indicat. Porro Euterpe Muſæ tribui barbiton, Sponius arguit ex Avieni carmine,

Euterpe dulci concentu barbita movit.

Attamen Lyricorum Poetarum organon id fuiſſe, Horatius oſtendit non uno in loco, ut in Ode 1. & 32. libri primi; & Muſæ Lyricorum Polyhymniæ, ab hymnis concinendis ita denominatæ, eſſe tribuendum demonſtrat. Euterpe vero tibias aſſignandas Ode 1.

. . . . . *ſi neque tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Lesboum appellat *barbiton*, carmina Alcæi Lyricorum Principis, in Lesbo inſula nati, ut ex Ode 32. ad lyram ſuam:

(*Age, dic Latinum*
Barbite carmen,
Lesbio primum modulate civi &c.)

Interpretes veteres, & recentes docent. Si attente conſideretur diſpoſitio partium in hujuſce Muſæ Matthæjanæ lyra, cithara, ſeu barbito, tria heptachorda admittente, partim tentanda digitis, partim plectro pulſanda, intelliget unuſquiſque Anacreontis magadem triplici heptachordo, & fidibus una & viginti inſtructam; nec non cæteras ſpecies hujuſce generis inſtrumentorum εὐχορδῶν deſcendere ex heptachordo filiorum Chanaani, Apollinis habiti à Poetis; nec non ex octachordo, & decachordo Pſalterio Davidis, & dodecachordo Joſephi. Siquidem heptachordon, & octachordon, eſt diatonicum ſyſtema ſeptem vocum, cum adjectione octavæ, primam chordam repetentis in auctioribus. Enachordon Theophili, duas addit chordas diatonico, & totidem voces, quarta, & ſexta deſtitutis (in Syſtemate Guidonis, quo utimur, eſſent F. & B. niſi aſſumerentur Bb. & F.) ut in diatoni-

tonico justi diatessaron proportio assignetur. Inde vero fit Davidis decachordon perficiens octavam hujusmodi chordarum assumptione; at duodenarius chordarum numerus in Nablio Josephi expressus, refert easdem ferme chordas XII. diatonici systematis, quæ bis duci poterant ad infernum βατῆρα, seu scamillum, in illis, Lydium, in his, Phrygium modum reddituræ; aut certè Diatonicum, Enharmonicum, & Chromaticum systema commisceri in eadem cithara expeditè poterat, non secus ac in suo tripode versatili fecit Pythagoras ille Zacynthicus, quem retulimus ex Athenæo.

12. Psalterium decachordon, Hebræis נבל *Nebel*, seu נבל נשור *Nebel Nassor*, unde Græci derivarunt Νάβλιον, & Latini *Nablium*, seu *Naublium*, & *Nablam*, organi genus est, quod à Sidoniis acceptum ferunt ex Sopatre apud Athenæum lib. 4. cap. 24.

. . . . *Neque Sidonii Naublii*
Crocitans chordis tensa est forma &c.

Adjectam fuisse Nablio unam, & alteram chordam, supra decem illas à Davide numeratas in suo Psalterio, cognoscimus ex Josepho Hebræo lib. 7. Antiquit. cap. 10. Citharæ non admodum dissimile fuisse Psalterium, docemur ex observatione S. Basilii relata à Jacobo Benigno Bossuet Episcopo Meldensi in notis ad Psalmos, ut in ejus præfatione num. 34. Citharam Latinorum, seu Κινύραν Græcorum ab Hebræorum כנור *Cinnor* omnes derivatam sciunt. Josephus ita describit Nablium, & Cinyram. *Cinyra decem chordis intenditur, & pulsatur plectro. Nabla, duodecim sonos continet, sed digitis carpitur.* Quadratam Psalterii formam hoc 12. chordarum numero expressimus ex simili in æneo vase antiquo apud Bellorium, edito per Nicolaum Caussæum in Museo Romano sect. 5. art. 1. num. 3. ubi decem tantùm chordas cælator incidit. Vel organi ejusdem figura fuit, vel symbolum; cum primus quadratus inter numeros, hoc est quaternarius, denarium contineat totius harmoniæ, omniumque numerorum arcana complexum; ut passim notant Arithmetici, & Musici ex Pythagoricis, cum Kircherio in Musurgia lib. 7. p. 1. §. 1. Videndus Jo. Meursius in Denario Pythag. Trapezii figura præditum

ditum fuiſſe Nablium נבל ſeu Pſalterium, dicit Schilte apud eundem Kirch. p. 49. lib. 2.

Præter Pſalterium Decachordum, Interpretes complures in Davidis muſice reperiunt octachordum, quando in Pſalmis occurrit frequens ille titulus, *pro octava*. Verba Epiſcopi Meldenſis dabo num. 34. Præfationis in Pſalmos „ Pſal„ terium fuiſſe decachordum patet Pſal. 32. ver. 2. *in Pſalte„ rio decem chordarum pſallite illi*, aliiſque in locis; ut illud „ Pſal. 91. v. 4. *in Decachordo Pſalterio*, quod in Hebræo legi„ tur, non ad diſtinguenda organa, ſed ut ad unum, idem„ que organum deſcribendum pertinere intelligatur. Nam „ *citharam*, quæ in eodem verſu memoratur, octochordam „ fuiſſe tradunt. Certe reperitur in titulis Pſalmorum „ השמינית *Haſchemminith*, quod noſtri *pro octava* vertunt. „ Chaldæus, eumque ſequuti graviſſimi Auctores *octochor„ darum cithara* interpretantur; quamquam alii ad tonos ma„ gis, quam ad numerum chordarum referunt „ Species igitur citharæ habenda ſunt organa indicata Pſalterii, ſeu Nablii, & Cinyræ. Sunt qui Nablium à Pſalterio diſtinguant ex uſu tantum, quò ſcilicet Pſalterium ſacris tantummodo hymnis peragendis adhiberetur; Nablium verò etiam profanis cantionibus præter ſacros uſus præſto eſſet. Videndus ea de re Cæſius in Aſteriſmo Lyræ pag. 189. & ſeq. ubi etiam Harpæ noſtrati, ac veteri à Venantio memoratæ æquiparandum putat. Cæterum Octochorda, Decachorda, & Endecachorda inſtrumenta ab antiquis memorata hiſce figuris * includimus, cum pro arbitrio Muſicorum plures, aut pauciores nervi eiſdem aptarentur. Enneachordon etiam Orpheo tribuit Avienus pro Muſarum numero fortaſſe chordas lyræ ſuæ aptanti; ut Cæſius interpretatur loco indicato:

Hic nam fila novem docta in modulamina movit.

Ejuſdem uſus quoque, inquit, tribuitur Phrynidi, cui duos amputavit nervos bipenni Emereps Lacedæmoniorum Ephorus, cujus cenſuræ univerſa olim Græcia acquieſcebat. Phillis quoque Delius apud Athenæum lib. XIV. cap. 14. memorat Enneachordon. Ibi etiam additur Apollodorus in reſponſo Epiſtolæ ad Ariſtoclem. Quod nunc Pſalterium vocamus, illud inquit eſſe magadem; vocatus vero olepſiambus

* *Nempe 9. 12. 15. Tab. V.*

bus est Trigonus, ac Elymus, ac novem habens chordas; quæ rariori sunt in usu. Psalterium igitur cum magade componendum hìc liquet: magadem rursus cum barbito Terpandri, & cum Pectide Sapphus, facile colliges ex auctoritatibus ibidem relatis ab Athenæo. Sive igitur heptachordem lyram, sive octochordam, sive Psalterium enneachordon, ac decachordon Davidis, sive organa chordis pluribus instructa memorentur, omnia ad citharæ, psalterii, barbiti, & lyræ genus esse referenda cognovimus. Quare figuræ a num. 3. ad num. 12. variant ab illis, quibus hodie utimur in communi systemate Guidonis. Nam in singulis heptacordis diatonicis cum inserantur quinque chordæ chromaticæ, resultat numerus duodecim fidium unicuique chordæ suas legitimas consonantias tribuentium. At Schilte apud Kircherum Musurgiæ lib. 2. pag. 49. dicitur *Trapezium*, propter adjectam scilicet basim, quæ trigono fidium, quartum latus infernè addit, ut expendenti figuram satis liquet; ni placeat trigonam lyram pressius interpretari, quam harpam etiam dictam antiquitus discimus ex versu Ven. Fortunati,

Romanusque lyra plaudat tibi barbarus harpa.

Licebit earundem figuras intueri numeris 13.14.15.16.& 17.

13. Figura Trigonæ lyræ num. 13. desumpta est ex anaglypho Ægyptio in Hortis Mediceis a Kirchero edita tomo 4. Oedipi cap. 13. pag. 426.

14. Figuræ 14. & 17. editæ ab eodem, Musurg. Tom. 1. pag. 49. ex antiquo Codice Vaticano. Figura 14. dicitur כנור *Cinnor* Hebræis, Græcis Κινύρα, & Latinis *Cinyra*, aut *Cithara*.

15. In anaglypho Mediceo Horti Pinciani numeravi chordas duodecim marmori incisas, licet non nihil detrita marmoris superficies injuria temporum easdem obliterari alicubi ostendat. Quapropter accedit proxime hoc instrumentum ad Josephi Nablium duodecim chordis instructum, & ad figuram trigonam eidem organo, citharæ, seu psalterio tributam ab Auctore Epistolæ de generibus Musicorum, quæ sub Hieronymi nomine circumfertur, indicante etiam Sponio Miscell. sect. 1. art. 7. pag. 23. in Tab. 48. qua in Epistola dicitur *Deltæ* litteræ id organum assimilari. Inde etiam

conficitur, rectè comparari a Venantio Fortunato Romanam Lyram cum Harpa barbarica in carmine recitato num. 12. Viſitur etiam in Tabula Iſiaca ante bovem Apim quidpiam ſimile huic lyræ, ſeu citharæ trigonæ impoſitum tripodi.

Kircherius loco citato aliam profert iconem Pſalterii quadrati ſub A, ſimplicioris, ac ſimilis ferme figuræ noſtræ, quam ex vaſe æneo Bellorii exhibuimus ſupra num. 12.

TABULA VI.

16. & 17. FIguram 17. Kircherius dicta pag. 49. Tom. 1. Muſurg. inſcribit nomine נבל עשור *Nevel Naſſor*, ſeu Nablii Decachordis primo dicti, tum aucti fidium numero majori, unde etiam Harpicordi noſtratis forma ſuborta eſt num. 16. ſive jacentis, ſive erecto ſitu, qualia organa Romæ quoque efformari vidimus.

18. Numero autem 18. exprimendum curavi Mercurii Caducæum; cum Cithara expreſſum in tabula Solari Matthæjorum explicata per Aleandrum; qui ſcite obſervat pag. 31. ex arundine compactum oſtendi, ut fiſtula arundinea indicari poſſit, Mercurio attributa ab Apollodoro, Iſidoro, aliiſque Auctoribus. Rurſus apponendam duximus hanc Mercurii virgam Muſicæ artis antiquiſsimis Inſtrumentis; ut baculum cantorium, a Calvor in Caducæo cognitum, indicaremus, ſive artem Muſices, ad harmoniæ leges, & pacem revocantis vocum diverſarum ſonos ſerpentinis gyris ſibi propemodum adverſantes, ut prædictus Author obſervat Ritual. par. 2. ſect. 5. cap. 21. pag. 699. & deduci poſſe autumat ex carmine Virgiliano.

TABULA VII.

1. TYmpanum recte definivit Scaliger in Manilium p. 382. ſcribens: *Omne cavum, ab una parte rotundum, tympanum dicitur. Aſſentitur Plinius a pleriſque obſervatus lib. 9. cap. 35.* ubi aſſerit tympani nomen inde tributum margaritis eam figuram retinentibus, quibus una tantum eſt facies, & ab ea rotunditas, averſæ verò, planicies. Æreum ejuſmodi tym-

tympanum bacillo pulsatile exhibemus ex antiqua pictura edita per Petrum Sanctem Bartolum Tab.XII. Passim occurrunt tympana inter symbola Matris Deûm in nummis, anaglyphis, aliisque monumentis Græcorum, & Latinorum.

2. *Tintinnabulum*, seu *Crepitaculum*, ad genus tympani referri potest ex figura, quam præfert. In antiquo anaglypho per Boissardum edito Tom. 3. pag. 47. Cybeles tympanum manu gestat, Athyde pariter aliud tympanum elevante: ex arbore autem pinu pendent gemina tintinnabula, seu crepitacula in eorum Sacris adhibita, quæ omissa sunt in nova editione ejus Tabulæ, cum Gruteri Inscriptionibus nuper vulgata Tom.1. pag.27. At ex prototypo marmoreo Romæ asservato in Ædibus olim Cardinalis de Maximis *ad quatuor Fontes* heic damus. Tam Tympana, quam Tintinnabula, quæ Gentium superstitio ad inanium Deorum cultum adhibuit, multo præstantiori, & antiquiori instituto fuerant ætate Mosis in Dei laudem concussa. Maria soror Mosis, post demersum Pharaonem, carmine epinicio Dei beneficia celebrans, tympanum sumpsit in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris; ut legimus Exodi 15. Aurea vero tintinnabula limbo vestis Aaron Moyses divino monitu aptavit, ut, eo ingrediente Sanctuarium, sonum ederent, quemadmodum eodem libro Exodi consignatur cap. 39. Tympanum ibi vocatur תוף *Toph*, Exodi cap.15. vers.20.

3. Tertia figura *Tympanum* ostendit crepitaculis instructum, cum pedo pastorali ejus pulsandi causa apposito. Inter antiquas picturas ita exhibetur Tab.XX. a Petro Sancte Bartolo ex autographo delineatum. Cymbala crepitaculis instructa mox subjiciam.

4. *Cymbalum Sacrum Armeniorum*. Tympani genus est cymbalum, a concava figura cymbæ nomen deducens. Alii tamen malunt etiam pateris metallicis orbiculari forma præditis cymbali nomen commune facere: præsertim, si, appensis crepitaculis, concussione tinnitum edant; ut Armeniorum in Sacris etiam in Urbe præstatur. Ætate Apostolica eodem nomine appellabantur hujusmodi instrumenta musica; ut constat ex Epistola B. Pauli 1. ad Cor. cap. 13. *Factus sum*

velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Laurentius Pignorius de Servis pag.84. pluribus Auctorum veterum Scriptis rem illuſtrat. In Sacris Matris Deûm religioſo in primis viro id Organi genus tribuit Apulejus 8.Metam. *Inibi vir principalis, & alias religioſus, & eximiè Deum reverens, tinnitu cymbalorum, & ſonitu tympanorum, cantuſque Phrygii mulcentibus modulis excitus* &c. Inter anaglypha Urbis pag. 49. Faunus ex bacillo appenſum tympanum geſtat in Sacris Bacchi, cum crepitaculis. Oſtendam vetuſta cymbala Ethnicorum num. 17. quæ fortaſſe idcirco poſſunt appellari *Mezilothaim*.

5. *Cymbala Bacchicarum*, ſeu *Crembala Hermippi*. Sponius ex antiquis monumentis æquè, ac Scriptorum luculentis teſtimoniis figuram cymbalorum veterum ita deſcribit Miſcell. pag. 22. *Cymbala erant ex ære, quaſi duæ ſcutellæ, quæ manibus compoſa ſonum dabant*, uti Pignorius, ex auctoritate veterum Auctorum, retulit pag.83. de Servis, ita ſcribens: *Ambabus enim manibus, erant enim manubriata, vel anſata in extrema convexitate, appendebantur; & compoſa, concuſſaque ſonitum edebant, tinniebantque*. Figuram uterque Author edidit, ex vetuſtis anaglyphis Bacchicarum deductam, quam heic retulimus. Ejuſdem figuræ Cymbala adhiberi videmus ad concentum edendum in ſacrificio Etruſco; edito inter Picturas veteres a Bartolo fol.93. Hermippus apud Athenæum lib.14. cap.14. hæc inſtrumenta appellat *Crembala*.

6. *Tympanum leve*. Levia tympana diſtinguunt ſcite a gravibus, ex carmine Catulli, tam Pignorius, quam Sponius pag.84. Pignorius adhibet etiam complures authoritates ejuſdem Catulli, Ovidii, Svetonii, S. Auguſtini, & Iſidori, quibus evidens eſt, præter ænea tympana gravia jam deſcripta, & infra exhibenda numero ſequenti, aliud fuiſſe genus commune tympanorum figura orbiculari, contectum pelle, vel corio ſuperinducto: quæ aliquando virgula percutiebantur, ut in bellicis tympanis fieri conſuevit; aliquando manu impellebantur; qua ratione ad choreas paſſim adhibent noſtrates ruſtici. Hinc Ovidius 4. Metam.

Fæmineæ voces, impulſaque Tympana palmis.

Et Catullus de Athy.

Huc eis citata cœpit manibus leve tympanum,

Tym-

Tympanum, tubam Cybele tua mater initia,
Quatiensque terga tauri teneris cava digitis
Canere hæc suis &c.

Et S. Augustinus serm. 1. de Sanctis num. 18. hoc genus Tympani tribuit Mariæ: *plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos Tympana puerperæ concrepent*. Addit hisce auctoritatibus Pignorius figuram, & descriptionem his verbis: *Porro forma Tympani hæc fuit, quam exhibemus, prima facie cribrum referens; ut non immerito legamus in judicio loci, & pistoris*: „ Tympana habet Cybele: sunt & mihi Tympana cribri.„

Sponius advertit etymon Tympani derivari a pulsando; τυπεῖν enim pulsare Græci exprimunt. Levibus hisce Tympanis, manus impulsu percutiendis, in orbe ligneo aptabantur etiam antiquitus lamellæ, ut hodie fit; quæ concussæ, acutum sonum ederent, cum gravi boatu percussi corii non injucunde compositum. Cymbalum audit apud nostros populares ejusmodi organum; uti observant Eruditissimi Viri Pignorius de Servis, & Senator Bonaroti pag. 86. in expositione Achatis versicoloris Musei Carpinei, Bacchi currum exhibentis, quam edidit post observationes ad Numismata maximi moduli ejusdem Musei pag. 36. Figuram Tympani lamellis instructi, quam heic attulimus, nobis ministravit anaglyphum vetus a Bellorio editum inter admiranda urbis Romæ fol. 17. num. 2.

7 *Tympana Bellica*. Duplex figura bellici Tympani a nobis depicta est, orbicularis una, altera cylindrica. Primam Pignorius expressit pag. 85. qua hodieque utuntur equestres Turmæ, a Persis ad nos derivata: &, parum permutato vocabulo, *Timballi* nostratibus dicuntur, quæ antiquis *Tympana* dicebantur. Æneæ sunt pelves, ejus figuræ, sive hemisphærii, unde nomen margaritis ex Plinio inditum diximus num. 1. plano corio superextenso. Apollodorus ejusmodi Tympana tribuit Salmoneo. *Pelles*, inquit, *detractas in curru cum æneis lebetibus agitans, dicebat se sonare*. Alterum genus bellici Tympani cylindricæ est figuræ, quo pedites utuntur passim. Utrimque percuti bacillis potest cum cylindro ligneo: pellis utrinque superextensa ictus excipit. Ex palmæ stipite cylindrum bellici Tympani Indi construebant, Suida te-

teſte; unde Bacchus Indorum domitor fortaſſe ad Græcos tranſtulit, ex palmæ arboris cavo ſtipite tintinnabula introrſus, cui ex aurichalco adaptabant, atque in altum ferebant, concutiebantque in acie. Tintinnabula igitur, quæ & multa, & magna, intus inconditum quendam ſonum edebant. In anaglypho Matris Deûm tintinnabula ſeorſim appenſa viſuntur: Tympana verò geſtant Cybele, & Atys, uti narravimus num. 2. A Parthis, ſive Perſis Indorum proximis Tympana non diſsimilia partim noſtris equeſtrium copiarum, partim pedeſtrium, uſurpari docet Plutarchus in vita Craſsi: *Non cornibus, aut tubis*, inquit, *incitare ſe ad pugnam, ſed ſtipites quoſdam corio tectos, & concavos, tintinnabulis æreis circumpoſitis, ſimul pulſant. Illi vero obſcurum aliquid, & terribile reſonant, & ululatu ferino, & tonitru commixtum*. Iſidorus, obſervante Lipſio in fine Dialogi x. de Militia Romana, Tympanum noſtris ſimile, quibus utuntur pedites, appellat Symphoniam: *Symphonia, vulgo appellatur lignum cavum, ex utraque parte pelle extenſa, quam ſinguli hinc, & inde Muſici feriunt*.

8. *Æra Thermarum* heic exhibemus ex veteri anaglypho, quæ rudimenta æris campani fuiſſe demonſtrantur ipsâ ex figura. Fortaſsis etiam ænea figurata vaſa, a Vitruvio in theatris memorata, nequaquam diverſa ab his fuerunt. Appendebantur in Thermarum adytis, ad indicandam horam admiſsionis, ac receſſus. Obſervarunt id pridem Viri eruditi ex Martiali. Roſinus Antiquit. Rom. lib. 1. cap. 14. pag. 78. *Notandum eſt, quod campanæ ſonitu populus in Thermis, ſtatis horis, vel advocari, vel admitti ſolitus fuerit, ut ex Martiali conſtat, dicente* „ Redde pilam. ſonat æs Thermarum „. In eodem anaglypho, Thermas exhibente cum æneis hiſce vaſis, viſuntur alia æra appenſa figuræ orbicularis, ſimilia Tympanis, quæ referuntur a nobis num. 15.

9. *Crotala*. Crotalum, ait Sponius Miſcell. ſect. 1. art. 7. pag. 22. Tab. 14. *proprie ſciſſa arundo, conſtructa ſtudio, ut ſonet, ſi quis ipſam quatiat manibus. Sic enim Gloſſæ Græcorum*.

Producit ex antiquo monumento Feminam ludentem Crotalis, quæ *Crotaliſtria* dicebatur. Viſitur alia Femina Crotala quatiens in anaglypho feralis cœnæ, edito per Bellorium inter admiranda urbis Romæ fol. 74. num. 2. Clemens Ale-

Alexandrinus Crotala a Siculis inventa fuisse tradit. *Crumata* quoque, species erant crotalorum, ut ibidem cum Scaligero ad copam confirmat Sponius; nempe testulæ erant, aut ossiculi, usum Crotali præstantes. Hispanis præsertim usurpata, Bœticæ in primis Provinciæ, & Gaditanæ, affirmante Martiali. In veteri pictura edita per Bartolum, necnon in vetustis lucernis ab ipso excussis par. 1. num. 34. & 35. Crotalis, & Crumatis ludunt complures figuræ, unde hanc desumpsimus. Malleum ligneum adjecimus, quo Hebræi etiam nunc excitant suos contribules ad preces antelucanas; & vocant *Sommerim labocher*, vigilias matutinas. Malleo ligneo contundere nos solemus trabem in aditu Ecclesiæ positam, in triduo majoris Hebdomadæ, *Officiis*, ut vocant *tenebrarum*; ut ex fragore contusi ligni tumultus Judæorum Christum Dominum ad necem deposcentium, eumque cruci affigentium evidentius in memoriam reducatur; quæ species tympanorum sunt, cum a τυπεῖν *percutere* dicantur Tympana.

TABULA VIII.

10. *Semanterion* ab Italis dictum *Scrandola* hic etiam exprimendum curavimus, nempe asserem ferreis manubriis versatilibus instructum, quo per eos dies, silente ære campano, utimur ad populum in Ecclesiam advocandum. Antiquitus, ante inventas nolas, Ecclesiæ Orientales, & Occidentales utebantur hoc signo convocationis, vel tuba; uti ex historia Lausiaca, Cassiano, Act. 4. Nicænæ Synodi secundæ, aliisque pluribus testimoniis probat Card. Bona, Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 22. num. 2. Utuntur nunc etiam Græci recentiores; & quidem harmonica lege id lignum pulsant, ut merito inter Instrumenta Musica referri possit. Descriptionem luculentam ex Leone Allatio addit ibidem doctissimus, ac piissimus Cardinalis: *Sacerdotes*, inquit, *Græci ligneo instrumento ad Græcos in Ecclesiam convocandos utuntur. Id est lignum binarum decempedarum longitudine, duorum digitorum crassitudine, latitudine quatuor, quam optimè dedolatum, non fissum, aut rimosum, quod manu sinistra medium tenens Sacerdos, vel alius, dextra malleo ex eodem ligno cursim hinc inde*

inde tranſcurrens, modo in unam partem, modo in alteram, prope vel eminus ab ipſa ſiniſtra, ita lignum diverberat, ut ictum nunc plenum, nunc gravem, nunc acutum, nunc crebrum, nunc extenſum edens, perfecta muſices ſcientia auribus ſuaviſſime moduletur. Semanterion id genus inſtrumenti vocant. Aliud Semanterion eſſe ait inſignis magnitudinis, adeoque quandoque ſex palmos latitudo, unum craſsitudo, triginta longitudo exæquet, quod in Turribus catenis ferreis appenditur, & malleo pulſatur.

11. *Trigonon* mulierum in choro adſtantium ferali cœnæ. In anaglypho Ædium Juſtinianæarum, edito inter admiranda Urbis Romæ fol.74. una ex eis num.2. conſignata Trigonum pulſat. Erat enim id Organum Siſtri genus, plectro pulſandum; ut ſatis cognoſcitur illa ex figura. Nonnunquam virgulis inſtruebatur diverſi ponderis, ac longitudinis; ut varium concentum ederet. Alia verò inſtrumenta, non Trigoni forma, ſed inflexo in circulum angulo ſuperiori curvabantur, & crotalia ſonoræ ſphærulæ, aut lamellæ inſerebantur, ut pro molis, & metalli varietate, ſonum diverſum ederent. Ex antiquis monumentis vulgavit Pignorius, de Servis pag. 83. Trigonum, ut arbitror, muſicum, quod cum cæteris Mercurii Ægyptii inventis habes in anaglypho edito per Boiſſardum ex Hortis Julii III. Tomo 4. pag. 78. & rurſus excuſum vidimus in nova editione Operis Gruteriani pag. 1073. P. Calmet putat hoc inſtrumentum ab Hebræis dici *Schaliſchim* שלישים.

Vide in Diſs. in Pſal. *de Inſt. Muſic.* figuras 18. & 19. de quibus Regum 1. cap. 18. v. 6.

12. *Siſtrum*. Celebre illud Iſidis Organum, & Iſiacorum geſtamen, quod ab Apulejo adamuſſim delineatur lib. XI. Metam. obſervante Pignorio de Menſa Iſiaca pag. 34. Æreum ſcilicet crepitaculum, cujus per anguſtam laminam, in modum baltei recurvatam, trajectæ mediæ parvæ virgulæ criſpante brachio tergeminos ictus reddebant, argutum, ſonorum, & gravem. Virgulæ per laminam trajectæ, modo tres, modo quatuor, non ſine myſterio, viſuntur in veteribus monumentis Siſtrum exprimentibus; ut eruditiſſimus Fabrettus probat Inſcript. cap.6. p.489. Duas ibi figuras Siſtri, ex Muſeo

ſeo Strozziano, & gaza Medicea ad magnitudinem prototyporum exactas, exhibet, unde hanc mutuamur quadrichordem. Siſtrum putant communiter eſſe cymbalum alarum Iſa. c. 18. צלצל כנפים. Vide P. Calmet Diſſert. Inſt. ad Pſal. n. 15.

13. *Hymnologium*. Liceat nomen procudere huic machinæ Muſicæ, quam aptant paſſim publicis horologiis Eccleſiarum, & Fori in Gallia, & Germania ſuperiori, atque inferiori, in Belgio, & Anglia. Tintinnabula complura appendunt certi ponderis, ac menſuræ, ita invicem attemperata proportione molis, ac ponderis, ut totum ſiſtema muſicum diatonicum, & chromaticum exhibeant. Tum in cylindro per horas ſingulas verſatili, ut fit etiam in Organis hydraulicis, aptant certis ſpatiis lamellas, quarum occurſu elevati malleoli ita incidunt ſinguli ſuam in campanam, ut melos ordinate per voces debitas proferant. Ut plurimum hymnorum modulationem pro temporis diverſitate occurrentium ab hiſce machinis edi curant artifices. Gallica voce appellant communiter *Garillion*. Figura pro arbitrio ſumitur, prout horologio convenit, cui eſt aptanda.

14. *Zylorganum* à Kircherio dicitur hæc machina muſica (puto *Xylorganum* voluiſſe appellare) Tom. 1. Murſugiæ pag. 518. quòd ea ſcilicet ligneis cylindris aliquando compingeretur. Uſus tamen docuit, præſtare ex argilla cocta, aut ex metallo, cylindros, ſive etiam tubulos formari ea longitudine, aut brevitate, quæ voces ſingulas per Diapaſon occurrentes fideliter reddat. Tæniola inſerta in utrumque caput cujuſque cylindri, nodis interpoſitis, ne proximi ſe contingant, exhibet ſyſtema muſicum perito percuſſori, qui, pro neceſſitate voces attemperandi, malleolo ſcitè percutit hunc, vel illum cylindrum, referentem chordam ejus modulationis propriam. Naucleris præſertim Siculis familiare inſtrumentum eſt, ideoque à nobis expreſſum.

15. *Cymbalum penſile*. Supra num. 8. exhibui æra Thermarum à Martiali deſcripta, figuram illuſtrantia à veteri anaglypho deſumptam, campanis, ſeu nolis noſtratibus non abſimilem. In eodem anaglypho pendet in alia thermarum feneſtra æs orbiculare, foraminibus per circumferentiam

æquo intervallo diſſitis, ut ſcilicet Crepitacula, vel alia non diſſimilia corpora ſonum editura, ex iis penderent. De his agemus in exponenda poſtrema figura hujus paginæ.

16. *Stella penſilis Fuldenſium*, ſeu machina cymbalarica S. Bonifacii Epiſcopi, & Martyris; cujus ætate conſtructam tradunt à fœmina Britanica ad Chriſtianam fidem perducta, abjurato Aſtri cujuſdam fictitio Numine, cui juxta errores ſuorum gentilium devota fuerat. Auream rotam campanulis compluribus præditam, imaginem Numinis quod impio cultu antea venerabatur, Chriſto ſubjecit. Rem pluribus narrat Kircherius ex Hiſtoricorum teſtimonio, quod profert.

17. *Diſcus Crotalophorus*, ſeu *Cymbalum Crotaligerum*. Nomen hoc indere liceat veteri Cymbalo, ſeu vaſi concavo, lancis, aut diſci formam obtinenti, cujus eſt limbus foraminibus pervius: ex his tintinnabula pendent, ad ſonum acutum iſtorum componendum cum gravi, æris ipſius, aut cymbali, ſeu diſci, ſono. Ejuſmodi ſtructuræ tympanum puella præfert in veteri anaglypho lateritio apud Bellorium edito inter Lucernas par. 2. num. 23. Ibi etiam additur figura Diſci ænei veteris tintinnabulis ſeptem inſerti, pendentibus circa lymbum, non ſecus ac in Cymbalo Sacro Armeniorum ſupra notavimus num. 4. Paulo ante num. 15. dabam ex vetuſto anaglypho cymbala Thermarum amplioris formæ, tanquam lebetum, aut lancium prægrandium: quorum in limbis foramina apparent evidentia, ad appendenda crotalia, ſeu tintinnabula; ut ex Belloriano Diſco facile quiſque colliget. Propterea non ineptè quiſquam fortaſſe refert ad hanc cymbali formam *Zizal Chenaphaim*, & *Mezilothaim* Hebræorum, de quibus ſupra num. 12.

TAB. I.



S. 4.

TAB. II.



S. 4.

TAB·III·



S. 4.

TAB. IV.



S. 4.

TAB. V.



TAB·VI·

16



17



18



S.4.

TAB·VII·



S. 4·

TAB·VIII· 11



10



12



13



14



15



16



17



S·4·



ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO QUINTA
Æneæ Antiquorum Lucernæ.

TABULA PRIMA.

Æ c utraque Lucerna unilychnis eſt ex anteriori parte veluti linguam exerens, in cujus apice foramen eſt ellychnio deſtinatum, aliud extat in centro ingreſſui fomitis datum.

TABULA II.

IN poſteriori parte manubrium habet charactere hieroglyphico nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti referens, utpote Salvatoris noſtri ſimulacro, vel Chriſtiani cujuſdam

cineri accenſa ; manubrio ſuperimpoſita eſt Columba hieroglyphicum Spiritus Sancti , ſolitumque primævæ Chriſtianitatis ſymbolum , de qua Tertullianus lib. adver. Valent. cap. 2. & 3. *In ſumma* , inquit , *Chriſtum Columba demonſtrare ſolita eſt; Serpens verò tentare . Illa & à primordio divinæ pacis præco . Ille à primordio divinæ imaginis prædo . Ita faciliùs ſimplicitas ſola Deum , & agnoſcere poterit , & oſtendere ; prudentia ſola concutere potiùs , & prodere . Abſcondat itaque ſe Serpens , quantùm poteſt , totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torqueat , altè habitet , in cœca detrudatur , per anfractus ſeriem ſuam evolvat , tortuosè procedat , nec ſemel totus , lucifuga beſtia . Noſtræ Columbæ etiam domus ſimplex , in editis ſemper , & apertis , & ad lucem . Amat figuram Spiritus Sancti , Orientem Chriſti figuram* . Scribit D. Chryſoſtomus Homil. in Matth. ideò Columbæ ſpeciem à Spiritu Sancto ſuſceptam , quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix eſt charitatis . Audiamus D. Cyprianum lib. de Unit. Eccl. ipſam Eccleſiam Columbæ aſſimilantem his verbis . *Quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus Sanctus ex perſona Domini deſignat , & dicit . Una eſt Columba mea , perfecta mea , una eſt matri ſuæ , electa genitrici ſuæ* . Et aliis interjectis . *In domo Dei , in Eccleſia Chriſti unanimes habitant , concordes, & ſimplices perſeverant . Idcirco & in Columba venit Spiritus Sanctus , ſimplex animal , & lætum eſt , non felle amarum, non morſibus ſævum , non unguium laceratione violentum : hoſpitia humana diligere ; unius domus conſortium noſſe ; cùm generant , ſimul filios edere ; cùm commeant , volatibus invicem cohærere ; communi converſatione vitam ſuam degere; oris oſculo concordiam pacis agnoſcere ; legem circa omnia unanimitatis implere, hæc eſt in Eccleſia noſcenda ſimplicitas ; hæc charitas obtinenda, ut Columbas dilectio fraternitatis imitetur* . Columbam , aut piſcem ſolebant primævi Chriſtiani in annulis geſtare, teſte Clemente Alexandrino lib. Pædag. cap. 11.

TABULA III.

SEquitur alia Chriſtianorum Lucerna oblonga , penſilis ex duabus catenulis ; unilychnis eſt in anteriori parte tubulum quemdam emittens ad ellychnium emovendum in apice per-

perforatum; habet in medio foramen operculo clauſum, in quod oleum infundebatur, ex utraque verò hujus foraminis parte notam, ſeu characterem hieroglyphicum nomen Chriſti ſignificantem. Manubrium adinſtar cujuſdam colli terminatur in caput Gryphi, cui Crux ſuperimpoſita eſt. Gryphus animal Soli dicatum, fabuloſum quidem, ut reor, ſed in hieroglyphicis frequens, alis, & facie Aquilæ ſimile, reliquis verò partibus Leoni, de quo fuſiùs infrà. Primævi Chriſtiani Dominum Salvatorem noſtrum tamquam divinum Solem, mundum immortali ſuo ſplendore illuſtrantem, infernaleſque fugantem tenebras hoc hieroglyphico forſan innuere voluerunt.

TABULA IV.

HÆc Lucerna bilychnis, & penſilis è tribus catenis, habens in anteriori parte duplex foramen in apice duplicis cujuſdam tubuli ellychniis corruſcantibus poſitum, in centro verò aliud majus ad excipiendum oleum conſtructum: in poſteriori parte monogramma Jeſu Chriſti ſacroſanctum nomen ejus referens cum duabus litteris A. Ω. *Ego ſum Alpha, & Omega*, dicit Dominus Apoc. cap. 22. n. 13. *primus, & noviſſimus; principium, & finis*. Quæ divina verba mirificè hunc in modum explanat Auguſtinus. *Ipſe de ſe dicit: Ego ſum primus, & noviſſimus. Indubitanter agnoſce, quòd priorem non poteſt habere, qui primus eſt. Item: Ego ſum Alpha, & Omega. Sicut Alpha literarum nulla præcedit, ita & filium Dei nulli ſecundum conſtat eſſe*. Audiamus & paganum Thaletem apud Laertium. Deum univerſarum rerum principium, & finem conſtituentem. Is interrogatus, *Quid Deus?* ſapientiſſimè reſpondit; *quòd initio, & fine caret*. τί τὸ θεῖον· τὸ μήτε ἀρχὴν ἔχον μήτε τελευτήν. Venerandum Chriſti nomen tutelare Chriſtianorum præſidium, ac conſuetum eorumdem ſymbolum ſarcophagis, lapidibus, lucerniſque inſculpi ſolitum fuit, quod ipſemet Conſtantinus priſtinæ apparitionis memor in imperiali Labaro, in ſcutis, in galeis, teſte Euſebio, atque etiam in nummis exprimi curavit. Unum hìc proponimus ex Muſeo q. Leonardi Auguſtini, in cujus antica parte exhibetur caput Conſtantini

velatum; in altera verò ſacroſanctum Jeſu Chriſti nomen, duabus ejuſdem primis literis Græcis curiosè, & ſubtiliter inſertis conflatum, cui ſtella radiata Solem deſignans ſuperpoſita eſt.



TABULA V.

ELegantem Naviculam exhibet hæc Lucerna; penſilis eſt è duabus catenis, & bilychnis duplicem linguam è dextro latere exerens utramque foramen habentem flammulæ dicatum: in centro navis inſurgit malus, cui velum ventis inflatum appenſum eſt; ejus ſummitati affixa eſt tabula hanc epigraphen inciſam habens. DOMINVS LEGEM DAT VALERIO SEVERO EVTROPI VIVAS. Juxta infimam mali partem exiguum cernitur foramen recipiendo fomiti aptum. Ad proram in caput olorinum deſinentem ſtat vir quidam beato Petro Apoſtolo facie ſimilis: ad puppim verò ſedet alter remum utraque manu tenens, fratrem ejus Andream haud dubiè repræſentans. Quid ſibi velit inſcriptio, nunc inquirendum. Valerius Severus Chriſtianâ religione imbutus, mortem tamquam legem ſibi à Domino impoſitam conſtanti animo expectans, longiorem Eutropio vitam optat more veterum, qui morientes circumſtantibus amicis ſolebant dicere, *Vivite, ac valete*, quod erat grati animi officium. Sic Auguſtus apud Svetonium in oſculis Liviæ deficiens, *Livia*, inquit, *noſtri conjugii memor vive, ac vale*. Eutropius deinde in ſepulchro Valerii Severi Lucernam hanc dilectæ cineri accenſam fortè collocavit, ac morientis amici verba, ejuſque erga Beatos Petrum, & Andream Apoſtolos pietatem in eadem Lucerna exprimere voluit.

TA-

TABULA VI.

HÆc Lucerna Jovi à quodam L. Tettio Alypo dicata, penſilis, & bilychnis eſt, in cujus medio conchylium extat perforatum fomitis ingreſſui deſtinatum; in poſtica parte ſtat Aquila expanſis alis inſiſtens fulmini, qualis reperitur in nummo aureo, & argenteo Domitiani cum hac epigraphe, IVPITER CONSERVATOR. Lucernam huic ferè ſimilem protulit Fortunius Licetus lib. 6. cap. 58. ſed abſque fulmine, conchâque ad oleum ſuſcipiendum minimè perforatâ; nomen quoque laminæ inciſum variat, legitur enìm in illa talis Inſcriptio, ETEITIVS ALYPVS IOVI DD. In hac verò TETTIVS ALYPVS IOVI DD. Unde illam aut erratam, aut ab hac noſtra diverſam eſſe non dubito. Fulmen ſymbolum eſt divinitatis, ut apparet in multis Imperatorum numiſmatibus eorum Apotheoſim fulmine expreſſam exhibentibus; Aquila omen dominationis, teſte Juſtino lib. 12. nativitatem Alexandri Magni referente his verbis. *Prodigia magnitudinis ejus in ipſo ortu nonnulla apparuerunt. Nam eâ die, quâ natus eſt, duæ Aquilæ totâ die præpetes ſupra culmen domus patris ejus ſederunt, omen duplicis Imperii Europæ, Aſiæque præferentes.* Aquila fuit etiam victoriæ ſignum, ut narrat idem Juſtinus lib. 20. *Pugnantibus Locris*, ait, *Aquila ab acie numquam receſſit, eoſque tamdiù circumvolavit, quoad vincerent.* Illam avium reginam. Joviſque armigeram finxerunt Poëtæ; etenim ſola avium fulmine non læditur, ſi fides Plinio lib. 2. cap. 55. & lib. 10. cap. 3. Scribit Iſidorus lib. 17. Origin. cap. 3. Aquilam eâ ratione Jovi dicatam, quòd, dum ipſe adverſus Titanas proficiſceretur, Aquila in auſpicio ei apparuerit, quam ille pro indicio victoriæ acceptam Legionibus in ſignum dedit. Eâ deinde ad rapiendum Ganymedem ſibi pocula miniſtraturum uſus eſt. Virgilius lib. 5. Æneid.

Intextuſque puer frondoſâ regius Ida, &c.
. . . . . Quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

TA-

TABULA VII.

EXhibetur Lucerna Veſtæ dicata pariter ut præcedens penſilis è tribus catenis, habens in anteriori parte duplex foramen ellychniis corruſcantibus poſitum, in poſteriori verò Templum rotundum duarum columnarum, in cujus medio Veſtæ ſtantis ſimulacrum alterâ manu pateram, alterâ tædam ardentem, cui bulla ante pectus dependet: ad ejus pedes ſtant duo Leones ſupra Lucernam in utroque majoris foraminis latere poſiti. Veſta ſumitur aliquando pro igne, teſte Ovidio.

Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam

Unde in nummo Veſpaſiani repræſentatur hæc Dea ſtans ſiniſtrâ ſceptrum tenens, dextrâ lampadem ignis ſymbolum. Ignis perpetuus huic Deæ conſecratus erat, cujus rei rationem reddit Phornutus. *Ignis autem perpetuus*, inquit, *Veſtæ dicatus eſt, quòd videatur plurimis & ipſam eſſe ens; nimirum ignis iſte perpetuus Veſtæ conſecratus oſtendit ipſam eſſe cauſam ejus ignis, qui in mundo eſt, quaſi ejus vi exortus ſit. Eſt & alia cauſa perpetui ignis, nempe quod terra fœcunda mater ſit animalium omnium, & ſuam vitam ab igne habeat.* Exhibetur autem in templo rotundo huic ſimili, quod Numam ſacro igni aſſervando extruſſiſſe ferunt, indicante non effigiem terræ, quaſi ea Veſta ſit, ſed univerſi mundi, in cujus medio Pythagorei ſedem ignis locant, eamque Veſtam nominant, & unitatem. Auctor eſt Plutarchus in Numa. Eamdem etiam creditam eſſe cum terra docet Arnobius lib. 3. adv. Gent. *Terram nonnulli Veſtam pronunciant, quòd in medio ſtet ſola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetua conſtitutis.* Hac enim de cauſa Leones ejus ſimulacro ſubjiciuntur, quòd ferox illud animal terram habitet, ab eaque nutriatur. Sacer quoque habebatur Leo Magnæ Deûm Matri, quæ colebatur ſub nomine Cybeles, & Veſtæ, unde & Veſta, & Mater vocata eſt. Hujus rei varia monumenta apparent in Numiſmatibus antiquis, ſed maximè in rariſſimo æreo primi moduli nummo habente in antica parte caput Juliæ Sept. Severi uxoris cum hac epigraphe IVLIA AVGVSTA; in averſa verò quatuor, vel ſex figuras muliebres ſacrificantes coram Templo rotundo quatuor columnis ſuf-

ful-

fulto cum inſcriptione VESTA MATER. In aliis Numiſmatibus viſitur eadem Dea Leonibus vecta, vel ſedens inter duos Leones cum epigraphe MATRI DEVM. MATRI MAGNAE, De bulla collo appenſa diximus Sectione II. & fuſiùs agemus Sectione ultima.

TABULA VIII.

HÆc Lucerna Soli dicata penſilis quoque, & bilychnis eſt: in centro quinque exigua foramina inter duos circulos conſpiciuntur fomiti recipiendo deſtinata; in poſtica parte ſtat Gryphus inter duas columnas ornamento quodam impoſitus, anteriori pede dextro rotam volvens. Gryphus ſymbolum eſt Solis; rota, quam volvit, indicat procreationem rerum omnium provenire ex continuo motu, & circuitu currus ſolaris: duabus columnis innuuntur duo tropici Solis curſum ab utraque Zodiaci parte terminantes, ſive potentia Solis ab ortu ad occaſum; forſan illæ ad æquinoctia, & ſolſtitia referuntur. Scribit Ælianus lib.4. de Animal c.27. Gryphum animal Indicum quadrupedem ut Leonem eſſe, robuſtiſſimis exiſtere unguibus Leonum ſimilibus, dorſum ejus pennis nigris indui, anteriorem corporis partem rubris, alas candidis; ore Aquilino eſſe, oculis igneis, nidoſque in montibus facere. Bactri populi Indis finitimi Gryphos illic auri cuſtodes eſſe, aurumque effodere, ſimulque eo ipſo nidos conſtruere dicunt. Indi verò eos auri cuſtodes eſſe negant, ſiquidem auri minimè egent, ſed cùm ad illud colligendum homines acceſſerunt, hos de pullis ſuis valde timentes pro eis pugnare. Certant etiam cum aliis animalibus, quæ facillimè vincunt, at contra Leones, & Elephantos ſtare non audent. Fertur etiam, teſte Plinio lib.7. cap. 1. Arimaſpos unico oculo in media fronte inſignes cum Gryphis bellum aſſiduè ob metalla gerere, Gryphoſque aurum è terræ viſceribus eruere, & cuſtodire, Arimaſpos autem rapere, quæ omnia fabuloſa eſſe reor cum Herodoto in Thal. cujus verba hic refero.

Πρὸς δὲ ἄρκτου τῆς Εὐρώπης πολλῷ τοι πλέος χρυσὸς φαίνεται ἐών. ὅκως μὲν γινόμενος, οὐκ ἔχω οὐδὲ τοῦτο ἀτρεκέως ἔπαι. λέγεται δὲ ὑπὲρ τῶν χρυπῶν ἁρπάζειν Αριμασπούς, ἄνδρας μουνοφθάλμους, πείθομαι δὲ οὐδὲ τοῦτο, ὅκως

μουνο-

μουνόφθαλμοι ἄνδρες φύονται, φύσιν ἔχοντες τὴν ἄλλην ὁ μοίην τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι. *Ceterum ad Septemtrionem Europæ quamplurimam vim auri eſſe conſtat: ſed quomodo fiat, ne hoc quidem pro comperto dicere queo. Dicuntur tamen id à Gryphis auferre Arimaſpi viri unoculi; quod nec ipſum crediderim, ut viri naſcantur unoculi, ceteram naturam habentes aliis hominibus parem.*

TABULA IX.

HÆc Lucerna Ledæ dicata oblonga eſt adinſtar naviculæ; in utraque extremitate foramen habet flammigero ellychnio aſſignatum, in medio majus inſpicitur oleo excipiendo præparatum: hæc inter foramina duæ ſunt anſulæ perforatæ capita, & colla Cygnorum referentes, per quas trajecta fila duo ferrea in modum catenarum Lucernam in altum penſilem detinent, deſinuntque inſerta in annulum, ex quo aliud ſimile filum pendet Ledæ caput in medio appenſum regens. Jupiter in Cygnum converſus Ledâ Tyndari Laconiæ Regis uxore potitus eſt, quæ duo deinde ova peperit, ex quorum uno Pollux, & Helena, ex altero Caſtor, & Clytemneſtra orti finguntur. De hoc congreſſu meminit Ovidius lib.6. Metam.

Fecit olorinis Ledam recubare ſub alis.

Sic Helena apud eumdem Poëtam in Epiſtola ad Paridem.

Dat mihi Leda Jovem Cygno decepta parentem.

Leda poſt deificationem dicta eſt Dea Nemeſis.

TABULA X.

JOvis cum Leda, & Europa concubituum memoriam refert elegans hæc Lucerna penſilis quoque, & bilychnis: de Leda, & Cygno in ſuperiori actum eſt; Jovis Europæ amore flagrantis in Taurum converſi meminit Ovidius lib.3.Met.

Jamque Deus poſitâ fallacis imagine tauri
Se confeſſus erat.

Quatuor celebriora hujus Dei adulteria in hoc diſtico connumerantur.

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.
Fit cygnus, taurus, Satyrusque, aurumque, ob amorem
Europæ, Lædes, Antiopæ, Danaes.

TABULA XI.

PRodit Lucerna Palladi Victrici dicata, pensilis, & bilychnis, habens in centro foramen intra plures circulos fomitem bibens; in postica parte Templum rotundum duabus columnis suffultum, in cujus medio Pallas, seu Minerva galeata, & togata, Gorgonam gestans pectori affixam, dextrâ ramum olivæ. Tres catenæ, quæ pensilem detinent Lucernam, pendent è lamina, cui incisa sunt hæc verba, PALLADI VICTRICI. Similem Lucernam lib. 6. de reconditis Antiquorum Lucernis cap. 47. exhibuit Fortunius Licetus cum eadem inscriptione, & imaguncula, sed absque Gorgona, gladioque vice oleæ in manu Palladis dato. Hæc Dea in contentione cum Neptuno, uter eorum Cecropiam de suo nomine appellaret, oleam produxit; Neptunus verò terrâ tridente percussâ Equum. Placuit magis Minervæ olea pacem designans, quàm Equus omen belli, unde Minerva victrix evasit, Cecropiam de suo nomine Athenas vocavit. Scribit Pausanias in Attic. oleam hanc incensâ à Persis urbe conflagrasse, eodemque die in duorum cubitorum altitudinem germinasse, quod ab Herodoto in Urania confirmatur. Ætate verò Plinii fama erat eam adhuc Athenis durare, teste eodem Plinio lib. 17. cap. 44. Minervam oleæ inventricem canit Virgilius lib. 1. Georgic.

TABULA XII.

VIctricem Minervæ oleam sequitur Equus Neptuni, è cujus medio pectore prominet veluti tubulus habens in apice foramen papyro ardenti assignatum, nullum autem apparet fomiti suscipiendo distinctum, ex quo conjectare licet hanc Lucernam semel impletam, & accensam, novique fomitis adjectu minimè indigentem perpetuâ flammâ exarsisse.

Lucernæ inextinguibiles tum ad tempus, tum perpetuæ fiebant. De priorum numero fuit illa aurea Minervæ dicata, de qua Pauſanias in Attic. quæ licet per dies, noctesque arderet, oleum tamen in ea infuſum niſi exacto anno minimè conſumabatur. De perpetuò ardentibus multi ſcripſere, quorum auctoritates, relataſque hiſtorias, magno ſtudio compilavit Fortunius Licetus, unde pauca de illa perenni flamma hìc attexam. Narrat Porphyrius lib. 2. de abſtin. ignem immortalem in Templis conſervari ſolitum, quippe qui Diis ſimillimus ſit. Strabo de Munychia urbe Athenienſium ad Pyreum ſita tractando Templum Minervæ recenſet, in quo lucis inextinctæ lychnus erat. Refert Plutarchus in Camillo Virgines Veſtales, quæ perpetuo igni cuſtodiendo præpoſitæ erant, Urbe à Gallis capta in Capitolium fugiſſe, ſacrumque ignem ibi ſecum aſportaſſe, quod tam feliciter, & citò facere nequiviſſent, ſi in aliquo rogo ignis iſte arſiſſet, non autem in Lucerna huic ſimili, quam in manu Veſtæ exhibet nummus argenteus Veſpaſiani. D. Auguſtinus etiam lib. 21. de Civit. Dei cap. 6. de quodam Veneris Fano loquitur, ubi candelabrum erat, & in eo Lucerna ſub dio ſic ardens, ut eam nulla tempeſtas, nulluſve imber poſſet extinguere; unde ſicut ille lapis, ita eſt λύχνος ἄσβεςος, ideſt *Lucerna inextinguibilis* dicta eſt. Subjungit deinde Vir Sanctus. *Aut ergo in Lucerna illa mechanicum aliquid de lapide aſbeſto ars humana molita eſt, aut arte magicâ factum eſt.* At illas naturaliter fieri luculentum teſtem habemus virum præclariſſimum, vitæque ſanctitate conſpicuum Caſſiodorum, qui ſimiles Lucernas ſe feciſſe ſcribit in lib. de Inſtitut. Divin. Scriptur. cap. 30. *Paravimus etiam nocturnis vigiliis mechanicas Lucernas conſervatrices illuminantium flammarum, ipſas ſibi nutrientes incendium; quæ, humano miniſterio ceſſante, prolixè cuſtodiant uberrimi luminis abundantiſſimam claritatem: ubi olei pinguedo non deficit, quamvis flammis ardentibus jugiter torreatur.* Hæ perennes Lucernæ oleo asbeſtino replebantur, quod erat incombuſtile, nomenque ex argumento naturæ obtinuit. Lapis iſte ferrei coloris naſcitur in Arcadia, ſemelque accenſus extingui nequit: ſic telam ex carbaſino lino, asbeſtove, vel amianto lapide contextam, in qua cadavera Magnatum antiquitùs cremabantur,

tur, flammis invictam fuisse constat; cujus mirabilis telæ, ut & asbestini lapidis rarissimæ asservantur reliquiæ in celeberrimo Museo Chigii. Plura vide apud D. Augustinum lib. 21. de Civit. Dei cap. 5. Plinium lib. 19. cap. 1. & lib. 37. cap. 10. Solinum cap. 13. Nos ad Lucernam nostram redeamus. Neptunus à Græcis Hippius dictus est, à Latinis Equestris, & Consur, cui Romulus solemnes paravit ludos Consualia vocatos, teste Livio lib. 1. Ædem, & aras Neptuno Equestri dicatas memorat Pausanias in Arcad. in Attic. & in El. pr. Ab illo Equos primùm domitos, scientiamque equestris rei traditam narrat Diodorus lib. 5.

TABULA XIII.

PRæclara hæc Lucerna pensilis, & bilychnis Pegasum exhibet inter duas Najades herbis, seu palustribus juncis coronatas, quarum una vas gerit, altera conchâ Equo alato aquam, seu rorem porrigit. Frequens visitur in antiquis sarcophagis Pegasus immortalitatis symbolum, animarumque beatarum ad æthereas sedes translationi destinatus, quarum situm alii usque ad lunaris globi exordium extenderunt, alii supra septem sphæras, quæ vagæ vocantur, collocaverunt. Constituerunt enim antiqui Elysios super sydera, animasque justorum in illa ultima sphæra, quæ ἀπλανης dicitur, recipi crediderunt, teste Macrobio in somn. Scip lib. 1. cap. 9. & 11. *Terra vero Aplanes, in qua Elysios campos esse puris animis deputatos antiquitas nobis intelligendum reliquit.* Et mox. *Animæ beatæ ab omni cujuscumque cogitatione corporis liberæ Cœlum possident.* Najades hìc appositæ videntur referri ad opinionem Thaletis, qui principium omnium rerum aquam esse dixit, ἀρχὴν δὲ τῶν παντῶν ὕδορ ὑπεστήσατο. Scribit Laertius in ejus vita. Cùm autem generatio, & corruptio absque humore fieri nequeant, & earum series sit perpetua, ut docet Aristoteles lib. 2. de Gen. & Corrupt. Tit. 58. siquidem teste eodem lib. 1. Tit. 17. corruptio unius est generatio alterius, & è contra; ideò Najades continui hujus motus causæ Pegasum immortalitatis symbolum comitantur. Hunc Neptuni, & Medusæ filium dicit Iginus Poet. Astron. 2. Aratri, & alio-

rum complurium ſententiam referens, qui eumdem in Heliconæ Beotiæ ſaxum ungulo ferientem fontem ex ejus nomine Hippocrenem dictum aperuiſſe crediderunt. Celebris hic fons Muſis habebatur ſacer, cujus aquæ Poetis favere, eiſque præſtare facundiam adeò putabantur, ut Perſius ſe Poetam modeſtè neget, quod illas nondum labiis deguſtaſſet.

Nec fonte labra prolui Caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo,
Memini, ut repente ſic Poeta prodirem.

Larvæ ſcenicæ ad Bacchum theatralis Poeſis authorem pertinent, cui ſcenica ſpectacula conſecrata fuere. In bacchanalibus Comediæ vulgo agebantur, quarum actores larvis ridiculis, & minacibus caput obducebant peramplo ore hiante quaſi ſpectatores devoraturus, ut narrat Lucianus lib. de Saltatione. Bacchi ſtatuis larvas ſimiles appendi ſolitas docet Athenæus. Najades Bacchi ſequaces dicit Horatius lib. 3. Od. 25. ejuſdem verò Sacerdotes Strabo: cui ſententiæ favere videtur uvæ racemus huic Lucernæ inſculptus. Ex his liquet eamdem theatralis Poetæ memoriæ dicatam fuiſſe, cujus Comediæ immortalitati tradi merebantur.

TABULA XIV.

HÆ duæ Lucernæ capita humana referentes Silenos haud dubiè repræſentant: primus barbam habet vitiûm frondibus contextam, ſuperioremque naſi partem, ſive frontem, & malas iiſdem obductas.

TABULA XV.

ALter hederâ coronatus eſt. Os utriuſque apertum amplum exhibet foramen, ex quo ellychnii ligula exerebatur; habet etiam uterque in fronte foramen operculo clauſum, oleo excipiendo paratum. Tam vitis, quàm hedera fuit Libero patri ſacra; Iſta quidem; quia, ut ille ſemper juvenis, hæc ſemper viret; illa verò, quòd ipſe vitium feratur inventor. Tibullus lib. 3. el. 6.

Can-

Candide Liber ades, ſic ſit tibi myſtica vitis,
Sic hederâ ſemper tempora vincta feras.

Bacchæ autem, & Satyri, & Panes, & Sileni erant ejus comites, teſte Suidâ. Βάκχαι καὶ Σατύροι καὶ Πᾶνες ἐ Σιληνοὶ ὀπαδοὶ Διονύσῳ frequens occurrit Silenorum effigies in Lucernis, quia comeſſationes à priſcis noctu ad lumen Lucernarum fiebant, ut docet Plutarchus Sympoſiac. lib. 8. cap. 6. referens antiquitùs Romanos ſeorſim prandere ſolitos, cænare cum amicis. At Silenus ſymbolum eſt ebrietatis, quæ ab illis incurrebatur in cœna. Priorem hanc Lucernam protulit Fortunius Licetus lib. 6. cap. 75. pampinis in achanti frondes commutatis errore forſan malè delineatæ iconis ſibi tranſmiſſæ.

TABULA XVI.

HÆc Lucerna in effigiem Columbæ efformata penſilis ex duabus catenis, & unilychnis eſt; duplex foramen habet, unum in extremitate caudæ flammulæ datum, alterum in ſummitate dorſi clauſum operculo, in quod oleum infundebatur. In tutelam Veneris ponuntur Columbæ ea de cauſa, teſte Fulgentio lib. 2. Mythol. quòd hujus generis aves ſint in coitu fervidæ. Illas Venereo currui alligarunt Poëtæ; eaſdem Virgilius aves Æneæ maternas vocat lib. 6. Æneid.

Vix ea fatus erat, geminæ cùm fortè Columbæ
Ipſa ſub ora viri cœlo venêre volantes,
Et viridi ſedere ſolo, tum maximus heros
Maternas agnoſcit aves.

Syri putabant nefas eſſe Columbas violare, quòd in tutelam Veneris eſſent, credebantque Semiramin in hanc avem eſſe converſam; Semiramis enim, linguâ Syriacâ, avem ſignificat: alii eam ab avibus adhuc infantem nutritam dicunt, eaque de cauſa Semiramin vocatam. Hyginus fab. 197. *Syri piſces, & Columbas ex Deorum numero habent, non edunt.*

TABULA XVII.

VOtivam hanc Lucernam Dianæ Epheſiæ à quodam Eutyche Alexandro Miletopolitarum Stratego dicatam in ſymbolica hujus Deæ ſtatua cum utroque hoc nummo exhi-

exhibuit Joannes Petrus Bellorius. Apex manubrii recurvus falcatæ Lunæ imaginem refert cum hac epigraphe. ΑΡΤΕΜΙΣ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΕVΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. DIANA EPHESIORVM EVTHYCHIS ALEXANDRI MILETOPOLITARVM. Hujus Miletopolitarum Strategi nomen legitur in averſa parte nummi ærei Commodi ab Eritio vulgati Mercurium repræſentantis ſaxo inſidentem, dextrâ caduceum geſtantem cum epigraphe ΕΤΥΧΟΥC. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. primis litteris ΕΠΙ. CT. ærugine ſine dubio corroſis. Alter ejuſdem urbis nummus, quem vir præclari nominis, & inſignis doctrinæ Eques Carolus Patinus edidit, in honorem Gordiani Pii à Miletopolitis ſub quodam Marco Trajano Aurelio Hermete cuſus Dianam venatricem exhibet in averſa parte cum inſcriptione, ΕΠΙ. Μ. ΤΡ. ΑΥΡ. ΕΡΜΟΥ. ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. De Miletopoli Græciæ oppido inter Cyzicum, & Bythiniam circa Rhyndacum fluvium conſule Stephanum, Strabonem, & Plinium. Hæc ferè omnia de votiva Dianæ Epheſiæ Lucerna ex Jo. Petro Bellorio loco citato.

TABULA XVIII.

ΠΑΝΑ, ſeu Univerſi naturam ex elementis conſtantem exhibet elegans hæc Lucerna penſilis, & bilychnis. Diverſæ fuerunt priſcorum opiniones circa numerum elementorum, de quibus egimus Sect. 3. Tab. 17. alii tria, alii quatuor conſtitueruut: priori ſententiæ conveniunt Pan, Leo, & Equus, in hac Lucerna expreſſi. Panem eumdem cum Sole dicit Macrobius Sat. lib. 1. cap. 22. *Ignis* (autem) *in Sole*. Scribit eadem in ſomn. Scip. lib. 1. cap. 11. Cui aſtipulatur Bocaccius. *Cornua ei apponebantur ad ſignificandos radios Solis, & Lunæ, cæterarumque ſtellarum; facies verò rubicunda, & inflammata ignem æthereum*. Per Leonem Cibeli dicatum Terra ſignificatur. Vide Sect. 1. num. 35. Neptunus à Græcis ἵππιος à Latinis *Equeſtris* & *Conſus* dictus Equo indicatur, & aquam denotat. Supereſt aer, ſi quatuor admittenda ſunt elementa juxta communiorem opinionem, qui Delphino deſignatur: ille enim utpote libidinoſum animal, amoriſque concupiſcibilis ſymbolum Veneri dicatus eſt, ejuſque ſtatuis, vulgo apponitur, teſte

ſte Valeriano, teſteque celebri hujus Deæ ſtatuâ, quæ Romæ olim, nunc Florentiæ in pretioſiſſima gaza Medicea aſſervatur. Aer autem juxta Macrobium loco citato ſphæra eſt Veneris.

TABULA XIX.

HÆc inſolitæ ſculpturæ Lucerna in Thermis Titi Aug. reperta aſſervatur in Muſeo Franciſci de Ficoronis rei antiquariæ ſtudioſiſſimi, cujus eruditioni multum debent exteri, qui antiquas Urbis magnificentias inviſendi deſiderio flagrantes Romam appellunt, cùm in his inveſtigandis verſatiſſimus, quidquid extat, occurritque curioſitate dignum, diligentiſſimè edocet, & explanat. Hæc, inquam, Lucerna olei, ellychniique incombuſtibilium poſt elapſa tot ſæcula adhuc plena, ardendi non modo virtutem, ſed etiam materiam in pulverem redactam flammis invictam ſervavit: & ne mirum hoc appareat, conſulendus eſt Jo. Ludovicus Vives teſtans in notis ad aureum opus D. Auguſtini de Civitate Dei lib. 21. cap. 6. ſe Pariſiis vidiſſe multa ex amianto ellychnia, quæ arderent inextinguibilia ſemper, atque incombuſtibilia.

TABULA XX.

ANas in manubrio hujus Lucernæ expreſſa hyemis ſymbolum eſt, & in antiquis picturis, & toreumatibus hanc tempeſtatem indicantibus repræſentatur, juxta hos veteris Poetæ verſus.

Carpit blanda ſuis ver almum dona roſatis;
Torrida collectis exultat frugibus æſtas:
Indicat autumnum redimitus palmite vertex:
Frigore pallet hyems, deſignans alite tempus.

Quo quidem alite Anas videtur innui, aquas hyemales, ventumque huic tempeſtati maximè proprium pennas roſtro purgando præſagiens, ſi fides Plinio lib. 19. cap. 35. Hæc Lucerna unilychnis, & penſilis è tribus catenis aſſervatur in eodem Muſeo.

TA-

TABULA XXI.

PRæclara Cygni imaginem referens Lucerna unilychnis Apollini dicata fuit, fortè quòd hæc ales vaticinetur, quando moritura ſit. Cicero Tuſcul. quæſt. lib. 1. *Itaque commemorat, ut cygni, qui non ſine cauſa Apollini dicati ſunt, ſed quòd ab eo divinationem habere videantur, quâ providentes quid in morte boni ſit, cum cantu, & voluptate moriantur: ſic omnibus & bonis, & doctis eſſe faciendum.* De flebili, funebrique Cygni cantu loquitur Martialis lib. 13. ep. 77.

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cygnus funeris ipſe ſui.

Muſarum avem ob cantum creditum fuiſſe Cygnum, teſtatur Callimachus in hymno in Delum.

Η μὲν ἔφη κύκνοι δὲ Θεῦ μελπόντες ἀοιδοὶ
Μηόνιον Πακτωλὸν ἐκυκλώσαντο λιπόντες
Ἑβδομάκις περὶ Δῆλον ἐπήϊσαν δὲ λοχείῃ
Μουσάων ὄρνιθες ἀοιθότατοι πτοτεηνῶν.

Hæc dixit, Cygnique Dei prædulce canentes
Mæonium linquunt Pactolum, terque quaterque
Mox circa Delum volitant, circaque puellam,
Muſarum volucres, avibus mage turba canora.

Fuit autem Cygnus, ut fabulæ referunt, Liguriæ Rex Phaëtontis amator, qui poſt illius mortem diutino fletu in avem ſui nominis converſus fuit, & deinde inter aſtra relatus. Vide Aratum in Phœnom.

TABULA XXII.

UTraque hæc Lucerna inſolitæ, & ſpectabilis facturæ votum procul dubio referens hominem repræſentat equo inſidentem. In priori, quæ penſilis eſt, è medio equi pectore tubulus quidam prominet in apice foramen habens ellychnio corruſcanti datum; figura intus vacua eſt humeris ad recipiendum fomitem perforatis.

TABULA XXIII.

IN altera Eques ipſe Lucernulam in altum levatam manu tenet; ab utraque parte vas poſitum eſt Aquilis in eo ſculptis inſigne, operculum habens capitibus ornatum; baſis quatuor tigrinis pedibus fulcitur. Hæc imago à figura equeſtri Marci Aurelii in arëa Capitolina collocata non multum differt tum propter geſtum, tum etiam propter quamdam vultus ſimilitudinem: votum fortè iſtius Imperatoris eſt Jovi Capitolino factum ob partam de Germanis, & Sarmatis victoriam, capitaque in operculo ſculpta ſunt illa populorum devictorum, quiddam enim barbarum referunt. Hæc Lucerna caret foramine ſuſcipiendo fomiti conſtituto, unde & illam inextinguibilem fuiſſe autumo, novique liquoris adjectu minimè indigentem.

TABULA XXIV.

INeffabile ſacroſanctæ Triadis miſterium in hac eleganti Lucerna adumbrant divini Platonis ideæ, unitatem in triangulo æquilaterali triplex verbum MONAC referente, quaſi triplicem perſonarum diſtinctarum numerum, æqualitatemque in una individua Sanctiſſimæ TRINITATIS eſſentia deſignantes, à qua ΠANTA in circumferentia circuli, qui mundi viſibilis eſt imago, expreſſa proveniunt. Hanc unitatem non eſſe corpus opinio eſt ipſius Platonis in dial. 7. de Republ. Marſilio Ficino teſte, cùm illa in partes dividi nequeat, ſed potius multiplicetur per ſe ipſam, ſi quidem pars quælibet toto debet eſſe minor, nulla verò unitas vel major, vel minor eſt unitate. Triplices numeros agnovere Pythagorici, lineares, planos, & ſolidos: de primis eſt triangulus æquilateralis in hac Lucerna expreſſus, quia ſolâ metitur unitate. Hoc unum indiviſibile ſimplicitate, & bonitate conſtans Deum eſſe fatetur ſapientiſſimus Philoſophus in Timæo Pythagoræ opinionem ſecutus, qui ἀρχὴν τῶν ἁπάντων μονάδα aſſeruit, referente Laertio in ejus vita; illudque rerum omnium principium conſtituit, utpote quod ſimpliciſſimum eſſe debet atque optimum, nihil autem vel unitate ſimplicius, vel me-

lius bonitate. Auctor eſt idem Ficinus in Tim. cap.8. & ſeqq. cujus annotationes ad Lucernæ noſtræ dilucidationem mirè faciunt. *Deum porrò*, inquit Plato lib. de anima mundi, *ſola mens videt in his omnibus ſanè rebus principem, auctoremque, & parentem horum omnium.* Θεὸν δὲ τὸν μὲν αἰώνιον νόος ὁρᾷ μόνος τῶν ἁπάντων ἀρχαγὸν ἐ γενέτορα τουτέων. Unde ipſam divinitatem, & quia omnia ſupereminet, unitatem, & quia per omnia exuberat, bonitatem appellandam eſſe autumat. Ab hoc autem uno infinito quidem, cùm principio & fine careat, ſuper omnia, extra omnia, & in omnibus exiſtente cuncta provenire, & quaſi circulo quodam Mundi viſibilis, ut jam diximus imaginem referente, in idem, unde manaverunt iterum remeare doctiſſimè explicat idem Ficinus in lib.de amore cap. 1. & ſeqq. *Quis negat*, ait ille cap. 3. *Deum centrum omnium merito nominari; cum omnibus inſit unus penitus ſimplex, atque immobilis: cuncta vero ab ipſo producta, multa, compoſita, & mobilia ſint; atque ut ab eo manant, ita in eum inſtar linearum, & circumferentiæ refluant.* Et mox. *Atque ut centrum punctum ubique in lineis, & in toto circulo reperitur, perque punctum ſuum ſingulæ lineæ medium circuli tangunt punctum, ita Deus omnium centrum, qui unitas ſimpliciſſima eſt, actuſque puriſſimus ſeſe inſerit univerſis.* Trinitatem triangulo (1) deſignatam rerum omnium menſuram eſſe dixerunt Pythagorici, quorum opinioni aſſentitur idem Plato l.4. de Leg. ὁ δὴ θεὸς ἡμῖν παντων χρημάτων μέτρον ἂν εἴη μάλιστα. *Verum enimvero Deus rerum omnium nobis ſit menſura maximè.* Eam ob cauſam doctiſſimè explicat Ficinus in præfatum librum de amore c. 1. *Quòd Deus ternario numero res gubernat, atque etiam res ipſæ ternario numero terminantur. Hinc Maronis illud, numero Deus impare gaudet. Nempe ſummus ille auctor primo ſingula creat, ſecundo rapit, tertio perficit. Singula quoque in primis ab illo perenni fonte effluunt, dum naſcuntur: deinde in eumdem refluunt, dum ſuam illam originem repetunt: poſtremo perficiuntur, poſtquam in ſuum principium redierunt. Hoc vaticinatus Orpheus Jovem principium, medium, & finem univerſi vocavit.* Et hic continuus attractus à Deo incipiens, tranſiens in Mundum, & in Deum denique deſinens perfectiſſimè circulo (2) deſignatur, quippe qui in idem, unde manavit, iterum remeat.

TA-

TABULA XXV.

UNilychnis Lucerna ſerpentibus involutis, connexiſque vice manubrii ornata in gaza Eminentiſſimi Cardinalis Alexandri Albani aſſervabatur. Serpens ſalutis ſymbolum Æſculapio, & Hygiææ dicatus fuit, vel quia ipſe, quotannis veterem pellem exuit, novamque induit, juxtâ Tibullum.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetuſtas.

Vel quòd ejus multiplex ſit uſus in medicinis teſte Plinio. Ferebatur in orgiis ſerpens ciſtâ incluſus, & à Bacchantibus in feſtis Liberi patris manibus geſtabatur, ea de cauſa, inquit Nonnus, quòd ille vino gaudeat. Minervæ uti prudentiæ numini conſecratus fuit, & in hujus Deæ thorace ſquamis intexto ſerpentes implicati Gorgonâ intermediâ viſuntur. In averſa parte rariſſimi aurei Septimii Severi numiſmatis à Seguino vulgati exhibetur caput Meduſæ cum verbo PROVIDENT. denotans prudentiam, providentiamque propria eſſe Minervæ attributa. Serpens autem dictus fuit prudens eâ ratione ſecundum Clementem Alexandrinum lib. 6. Stromat. quòd in maleficiis quoque poteſt inveniri conſequentia aliqua, & diſcretio, & compoſitio, & conjectura futurorum. Obliqui, tortuoſique Solis itineris ſymbolum eſt ſerpens ſi fides Lucretio, qui Solem ſerpere, ut annum ſtruat, dixit.

Annua Sol in quo contundit tempora ſerpens.

Occultam rerum originem per ſerpentis effigiem commonſtrabant Valentiniani inteſtina noſtra in exemplum adducentes, ſerpentinæ ſpiræ adinſtar in utero delitentia, occultatæque in nobis genitricis ſubſtantiæ ſpecimen habentia. Vide Valerianum lib. 15.

TABULA XXVI.

SOli duodecim Zodiaci ſigna percurrenti Lucernam hanc circularem dicatam fuiſſe veriſimile eſt, cùm in ea tot foramina ellychniis corruſcantibus deſtinata ſint. Circulo Solaris potentia deſignatur, quâ rerum omnium procreatio, con-

continuique Solis in hunc mundum terreſtrem influxus ex continuo illius motu, ac circuitu proveniunt. Circulus figura eſt omnium planarum perfectiſſima, mundi viſibilis imaginem referens, ipſamque univerſitatem, quaſi τὸ πᾶν intra ſe complectens, quòd omnium figurarum ſit capax. Indicatur etiam per circulum æternitas, cùm ille principio, & fine careat, quod æternitatis eſt proprium, unde in nummis conſecrationis Fauſtinæ ſenioris ſuper ſphæram Zodiaco circumſcriptam ſedentis legitur ÆTERNITAS. Propriè autem Soli æternitatis ſymbolo Zodiacum percurrenti convenit; cùm enim ille à matutino horizonte digreſſus, eodem redierit, unde ferri cœperat, divinæ litteræ totâ die pro perpetuo poſuerunt, ut Pſalmo 70. 8. *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam*. Ubi Symmachus prolectione, quæ eſt, totâ die, perpetuo reddidit. Auctor eſt Valerianus lib. 39. circuli ſignificata referens.


LVCERNA XPIANORVM 1.
P. S. B. Sculp
Apud P. A. Rolandum Magninum


LVCERNA XPIANORVM 3.
P. S. B. Sculp:
Apud I. P. Bellorium S. S.

BIBLIOTHECA
VNIVERSITATIS
CRACOVIENSIS



S.S.



In Thesauro S. Magni Ducis Hetruriæ S. 5.



Apud Ill.mum Vrbanum Roccum

S.S.

BIBLIOTHECA
VNIVERSITATIS
CRACOVIENSIS

P. S. B. Sculp.

Ex Schedis S.S.



P. Santes Bartolus sculp.

Apud I.P. Bellorium S.S.




LVCERNA LEDÆ 9
Apud P.A. Rolandum Magnitum
P. S. B. sculpsit



In Tesauro Barberino


LVCERNA PALLADIS
PALLADI VICTRICI
P.S.B. Sculp.
Apud I.P. Bellorium
S6



P. S. B. Sculp. Apud Eccmum P. Burghesium S. 5.





Olim apud M.A. Sabathum S.5.

LVCERNA SILENI
P.S.B.Sculp. Apud P.A. Rolandum Magninum. S.S.

LVCERNA SILENI

B.S.B.Sculp. Apud P. A. Rolandum magninum S.S.


LVCERNA VENERI S. 16
Apud Abbatem I. A. Albarettum


ΕΠΙ·C·Γ·ΕΥΤΥΧΟΥ·ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΜΕΙΛΗΤΟΠΟ
ΛΕΙΤΩΝ
ΕΥΤΥΧΟΥ·ΑΛΕ·ΑΝΔΡΟΥ
ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ
ΕΦΕCΙΟΝ
ΕΠΙ·ΑΡΤΕΜΙC·ΕΦΕCΙΩΝ
ΕΥΤΥΧΟΥ·ΑΛΕ·ΑΝΔΡΟΥ
ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ
ΕΠΙ·ΑΡΤΕΜΙC·ΕΦΕCΙΩΝ
ΕΥΤΥΧΟΥ·ΑΛΕ·ΑΝΔΡΟΥ
ΜΕΙΛΗΤΟΠΟΛΕΙΤΩΝ
ex numismate Comitiadi
ex numismate Gordiani Pij
In Musæo Io Petri Bellorij
S.S.

Ex Schedis S.5.


Apud F. Ficoronum
S. S.



D D Apud F. de Ficoronis S G.

LVCERNA CYGNI 24

LVCERNA EQVITIS
In Museo nostro



In Thesauro Barberino S5



Apud Ill.mum F. Bianchinum S.5.

In museo Albano

LVCERNA ZODIACI 26



Apud M. Ant. Sabatinum. S.5.

ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO SEXTA
Miſcellanea continens.
TABULA PRIMA.

ULTA Vaſa fictilia etruſca obſervantur in Muſeis variis figuris depicta. Cl. Gorius, poſt Dempſterum non ſolum Etruſca Vaſa, quæ reperire potuit, ſed ea omnia, quæ ad Religionem, mores, inſtitutaque Etruſcorum pertinent, tria præclara Volumina Tabulis æneis refertiſſima in unum congeſſit, doctiſque adnotationibus illuſtravit: unum hic exhibemus pulcherrimum, in cujus priori parte tria Numina repræſentantur, Diana cum galea, & ſcipione, Hercules cum clava, & Mercurius cum caduceo.

TABULA II.

IN altera verò tres figuræ, quarum prima urceum tenet; ſecunda cornu ceras dictum, quo Sileni, aliique Liberi patris ſequaces ad bibendum utebantur; tertia utramque manum velatam habet. Harum figurarum quatuor larvatæ ſunt: larvæ autem erant dedicatæ Baccho, qui fuit author luſus ſcenæ, ut & muſicæ theatralis, drammaticæque poëſeos. Hic Deus præerat etiam epulis, & commeſſationibus, unde imagines in hoc Vaſe delineatæ videntur alludere ad cænam Auguſti ſecretiorem, quæ vulgò δωδεκάθεος vocabatur, in qua convivas Deorum, Dearumque habitu, ipſumque pro Apolline ornatum diſcubuiſſe narrat Svetonius in ejus vita cap.69.

TABULA III.

MUſas novem exhibet elegans Vas æneum victoris fortè in muſicis, aut poëticis ludis præmium. De Muſis, earumque officio & inſignibus præclara apud Scriptores eruditos. Ex Muſis Thaliam habes, quæ Comædiis præeſt, talique habitu in nummis Pomponii Muſæ apud Urſinum exhibetur in Fam.Rom.pag.213. Melpomenes Tragædiarum inventrix triſtem ac ſeveram præ manibus ferens larvam, eam veluti cogitabunda contemplatur. An Melpomene columella innixa ſermonis firmitatem ſignificet? quod etiam de Calliope expreſſit Jamblichus in epiſtola ad Dexippum. Illud certum perſpectumque eſt in adſignandis officiis, deſcribendiſque Muſarum inſtrumentis diſſentire viſos eſſe veteres Scalptores, & Poetas.

TABULA IV.

VAſa enim in certaminibus ludiſve victoribus data plurimi declarant nummi Tripodes, Vaſa, Palmas, & Coronas referentes. De Muſis multi ſcripſere; unus inſtar omnium nobis erit Auſonius earum inventa, & munera his verſibus complexus Edyll.20.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat mœſta boatu.

Co-

Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Urania cœli motus ſcrutatur, & aſtra.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

TABULA V.

SEquitur Vas marmoreum huic ſimile, quod Pocillator Sectione II. manu gerit. Illius extremitas in caput animalis quamdam Cervi ſimilitudinem referentis terminatur: ſuperior verò pars anſata, & ſtriata eſt in modum cornu efficta fortè in memoriam Veterum. qui ante inventionem poculorum cornibus boum ad bibendum utebantur. Hic mos vigebat apud Germanos ætate Julii Cæſaris ſcribentis lib.6. Bell. Gall. Vaſa cornua effingi apud eos ex Uris agreſtibus, quæ feræ in Hercyna ſylva naſcuntur. Conſtat autem Veteres poculis diverſimodè effigiatis delectari ſolitos; teſte Juvenale Satyr. 2. *Vitreo bibit ille priapo*. De quibus plura vide Sectione II. in Pocillatore. Sed quidni dicere liceat Vas iſtud Dianæ Sacrificiis inſerviviſſe? Cervos enim huic Deæ ſacros nemo neſcit.

TABULA VI.

TUllus Hoſtilius Tertius Romanorum Rex debellatis Etruſcis ea omnia, quæ inſignia erant Magiſtratuum Etruſcorum, primus, ut Romæ haberentur, inſtituit; de quorum numero fuit Bulla aurea, quam victores in triumpho præ ſe gerebant, incluſis intra eam quibuſdam remediis adverſus invidiam, ut putabant, valentiſſimis. Sed poſtea Tarquinius Priſcus acto de Sabinis triumpho filium ſuum annos quatuordecim natum, quòd hoſtem manu percuſſerat, Bullâ aureâ, prætextâque donavit; quæ deinde in uſum puerorum nobilium, & ingenuorum uſurpatæ ſunt. Libertinorum verò filiis, qui ex juſta dumtaxat matrefamilias nati

erant, ut prætextam, & lorum in collo pro Bullæ decore geſtarent, conceſſum eſt. Author eſt Macrobius lib.1. Saturn. cap.6. Sic. Juvenalis Satyr.6.

. . . . . *Etruſcum puero ſi contigit aurum,*
Vel nodus tantùm, & ſignum de paupere loro.

Scribit Feſtus Bullam dictam à græco ſermone βουλὴ, ideſt, *conſilium*, quaſi puerilis ætas alterius regenda ſit conſilio. Illam in figuram cordis formatam eſſe refert Macrobius pueris ante pectus dependentem è collo, ut eam inſpicientes ita demum ſe homines cogitarent, ſi corde præſtarent: rotunda tamen obſervatur in marmoribus antiquis huic aureæ, quam hìc exhibemus, ſimilis, non autem cordiformis, ut deſcribitur à Macrobio. Ephebi Bullam auream, ut & alia donativa natali die accipiebant. Plautus in Ruden. act. 4. ſc. 4.

Et Bulla aurea eſt, pater quam dedit mihi natali die.

Geſtabantque illam uſque ad XV. annum, ut rectè probat Octavius Ferrarius lib.2. de re veſtiar. cap.1., ideſt, completo XIV. anno Laribus eam ſuſpendebant. Perſius Satyr.5.

Bullaque ſuccinctis Laribus donata pependit.

Tunc verò depoſità prætextâ togam virilem, puram, ſive liberam ante eoſdem Lares ſumebant, ſi credendum Propertio lib.4. el.1.

Mox ubi Bulla rudi dimiſſa eſt aurea collo,
Matris & ante Deos libera ſumpta toga.

Huic Bullæ aureæ inſcriptum eſt Catuli nomen, fortè Q.Luctatii, qui Collega C. Marii in quarto ejus Conſulatu anno ab Urbe condita DCLII. cum eo apud Aquas Sextias in Gallia Cimbros fudit, Cimbricique triumphi particeps fuit: deinde ab eodem Mario propter civiles diſſenſiones mori juſſus, accenſis carbonibus ore, ut Porcia Bruti conjux, hauſtis ſe ſuffocavit; vel multo igni percalefacto cubiculo recenti calce illito ſe incluſum peremit, ut narrat Valerius Maximus lib.9. cap.12. Scribit verò D. Auguſtinus lib.3. de Civ.Dei cap.27. Catulum hauſto veneno manibus inimicorum ſe ſubtraxiſſe. Fuit autem adeò nobilis Q. Catuli proſapia, ut Ser. Sulpicius Galba, qui Neroni ſucceſſit in Imperio, ſtatuarum titulis PRONEPOTEM Q. CATVLI CAPITOLINI ſemper adſcripſerit. Svetonius in Galba cap.2. Hæc Bulla aurea extat in Muſeo Chigii.

TA-

TABULA VII.

1. 2. SEquuntur duæ aliæ Bullæ, parvulæ quidem, & æreæ, sed propterea non contemnendæ: utraque, ut præcedens, intus vacua est, includendis iisdem remediis apta; prior caput Palladis sculptum exhibet, quæ Dea ingeniis præesse dicebatur. Ovidius lib. 3. Fastor.

Pallada nunc pueri, teneræque ornate puellæ,
Qui bene placuerit Pallada, doctus erit.

Altera quoddam phallum videtur referre, quo fascinatio credebatur averruncari. De phallis Sect. II. in Baccho.

3. Armillæ erant ornamenta aurea, vel argentea in circuli modum efformata, quæ Viri militares ab Imperatoribus donata gerebant: dictæ autem armillæ ab armis, teste Festo, *quòd Antiqui humeros cum brachiis armos vocabant, unde arma ab his dependentia sunt vocata*. Armillas siniſtro brachio gestari solitas docet Livius lib. 1. *Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo habuerunt*. Illas civibus tantùm, non autem externis, donatas legitur apud Plinium lib. 33. cap. 2. Mulieres etiam eas gestasse docet Festus. *Armillæ genus, quod mulieres gestare solebant in brachio siniſtro*. Sic etiam Plinius lib. cit. cap. 3. de usu auri in mulieribus. *Habeant fœminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, spiris, &c.* Earum imaginem hìc damus descriptam ex antiqua argentea, quæ in Museo Jo: Petri Bellorii asservabatur.

4. Duo fibularum genera recensentur: una erat instar annuli, quæ adolescentulorum, & Cantorum pudendis adhibebatur; illis quidem ne puerilis ætas Veneris usu in virilitatem citiùs præcipitaretur, teste Plinio lib. 33. cap. 12. his verò ne vox coitu asperior, deteriorque fieret, Juvenalis Sat. 6.

Solvitur his magno Comædi fibula, sunt quæ
Chrysogonum cantare vetent.

Utrique autem infibulabantur filo quodam tum æneo, tum argenteo, præputio sive cuticulâ glandis velamine trajecto. Altera vestiaria, cujus hìc exhibemus imaginem, oblonga in modum arcus efformata acu nervi figuram exprimens, quà chlamydes, palliaque aperta tunicæ injici solita, ne humeris defluerent, nectebantur; qualis in marmoribus, nummisque

que antiquis obſervatur, & de qua Ovidius lib. 14. Metam. Picum in avem converſum deſcribens.

Purpureum chlamydis pennæ traxere colorem,
Fibula, quod fuerat, veſtemque momorderat aurum,
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.

Scribit Alexander ab Alexandro lib.2. cap. 29. Aurelianum Imperatorem gregariis militibus, ut per omne tempus militiæ fibulas haberent aureas, privilegium dediſſe. Aurea pulcherrima extat hic Romæ apud Marchionem Raggium, cui inſcripta ſunt hæc verba, IVLIANE VIVAS, fortè ab hoc Imperatore alicui militi donata.

5. Antiquitus apud Romanos annulus ferreus bellicæ virtutis erat inſigne: ætate verò D. Auguſti, illoque decurias ordinante majorem judicum partem in annulo ferreo fuiſſe ſcribit Plinius lib.33. cap.1. Annuli etiam diſtinguebant Equites à plebe, cui annulorum aureorum uſus interdictus erat. De illorum origine, ac dignitate diſſerere mei non eſt propoſiti: dicam ſolummodo Veteres geſtaſſe Deos in annulis ſculptos, ut & amuleta, Idola Ægyptia, Serapidem, Iſidem, Harpocratem, Canopum, &c. quem morem non in fœminis tantùm, ſed & in viris Plinius vituperat. Unum ferreum hìc exhibemus cum Serapidis imagine extantem apud Jo. Petrum Bellorium, qui ad hunc Plinii locum lib.33.cap.3. illuſtrandum mirè facit. *Jam vero etiam Harpocratem, ſtatuaſque Ægyptiorum Numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.*

6. Multæ Claves antiquæ in Muſeis obſervantur, ex quibus unam ſelegimus parvulam, & ejus planè formæ, quam hìc damus. Clavium cuſtodiam penes ſervos fuiſſe teſtatur Seneca lib. 2. de ira cap. 25. *Quid enim eſt*, inquit, *cur tuſſis alicujus, aut ſternutamentum, aut muſca parum curioſè fugata nos in rabiem agat, aut verſus calix, aut clavis negligentis ſervi manibus elapſa.* Etenim januæ, cellæ, arcæ, bibliothecæ, veſtimenta, omniaque domus ſupellectilia ſervorum curæ commiſſa erant, quæ omnia à Janitoribus, Cellariis, Arcariis, Libertis à ſtudiis, veſtiariis, & ſupellecticariis ſeris, & clavibus cohibebantur. Carcerum Janitores Clavicularios appellatos fuiſſe ſcribit Cuiacius lib.10. Cod. tit. 65.

TA-

TABULA VIII.

1. HÆc Teſſera Paganica Tolentini urbis, & coloniæ Piceni, quæ nunc etiam *Tolentino* vocatur in Marchia Anconitana, a I. Philippo Tomaſſino Æmonienſi Præſule ſub finem libri, quem de Teſſeris hoſpitalitatis edidit, ut à Cl. V. Jacobo Sponio in Miſcell. Sect. 9. fol. 301. deſcripta eſt, mutila quidem apud hunc, apud illum errata, ſed ab utroque abſque figura exhibita. Illa primùm Fulginii extabat in Muſeo Ludovici Jacobelli; cimeliarcho deinde Cardinalis de Maximis acceſſit; nunc verò apud Joannem Petrum Bellorium aſſervatur, ubi eam & delineavi, & exſcripſi. Tabula eſt ænea hac delineatâ imagine paulò grandior, cui ſuperſtat dimidia muliebris figura Numen placatura, vel potiùs urbis Genium repræſentans; ad cujus fortè ſedandam iram, vel implorandum auxilium ob aliquod grave imminens periculum L. Veratius hoſtias luſtrales, æreamque tabulam voti memoriam referentem in aliquo Templo affigendam Paganis Tolentini municipii libens dono dedit.

2. En alia Teſſera quatrilatera ex oſſe alicui Gladiatori rude jam donato conceſſa, ut ſpectaculis, ludiſve intereſſe poſſet ſpectandi gratiâ, non autem pugnandi: huic enim ſervile nomen inſcriptum eſt, tempuſque ludi M. Sileno; & L. Norbano Coſſ. celebrati, quem Fructus Sexti Kal. Februar. ſpectavit.

3. Hæc Teſſera eburnea duobus piſcibus ſignata convivalis erat, cujus meminit Lampridius in Elagabalo his verbis. *Sortes ſanè convivales ſcriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius exhiberet decem camelos, alius decem muſcas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem ſtruthiones, alius decem ova pullina, ut veræ ſortes eſſent, & fata tentarentur: quod quidem & ludis ſuis exhibuit, quum & urſos decem, & decem glires, & decem lactucas, & decem auri libras in ſorte habuit.* Livius etiam lib. 9. de quadam convivali teſſera mentionem facit, quâ oſtensâ milites ad prandium admittebantur. *Conſul extemplo teſſeram dari jubet, ut prandeat miles.*

4. Teſſeræ luſoriæ erant oſcilla ſex laterum æqualium quibuſdam punctis diſtincta, quæ jacebantur talorum inſtar,

de

de quibus Julius Capitolinus in Ælio Vero. *Poſt convivium luſum eſt teſſeris uſque ad lucem*. De illis loquitur etiam Cicero lib. 1. de Divin. *Quid eſt enim ſors? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras: quibus in rebus temeritas & caſus, non ratio, & conſilium valet*. Teſſeras alias eburneas noſtris ſimiles, viridique encauſto illitas vidi apud Joannem Petrum Bellorium; ſed illa in eodem Muſeo aſſervata his multò grandior eſt, habetque foramen rotundum in ea parte, quæ quatuor punctis ſignata eſt, ut videre liquet in hac imagine magnitudinem ejus, formamque referente. Plura de Teſſeris forent dicenda, ſed cùm erudit. Vir Raphaël Fabrettus librum de Teſſeris, ponderibus, aliiſque miſcellaneis quamprimùm editurus ſit (numquam editum) ubi multa de ſuo proprio Muſeo vulgabit; ea tantùm hìc expoſui, quæ delineatarum imaginum explicationem juvare poſſunt.

TABULA IX.

1. STylus inſtrumentum ferreum, cujus mucrone antiquitus in cereis pugillaribus ſcribebatur, teſte Plinio lib. 34. cap. 14. *Stylo ſcribere inſtitutum eſt, ut vetuſtiſſimi authores prodiderunt*. Ejuſdem verò planitie ſcriptum adradebatur, ut innuit D. Hieronymus ad Domnionem. *Stilus ego, qui me putaverim hæc abſque philoſophicis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quæ deleret, quam quæ ſcriberet*. Stylus recondebatur in thecam, graphiarium, appellatam, de quo Martialis lib. 14. ep. 19.

Hæc tibi erunt armata ſuo graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Pugillares autem, in quibus ducto per ceram ſtylo ſcribebatur, erant tabellæ ex citro, ſeu buxo, vel ebore confectæ, quibus cera colorata ſuperinducebatur. Ovidius lib. 1. Amor. el. 12.

Ite hinc, difficiles funebria ligna tabellæ:
Tuque negaturis cera referta notis.
Quam puto de longe collectam flore cicutæ,
Melle ſub infami Corſica miſit Apis.

At,

At, tamquam minio, penitus medicata rubebas;
Ille color verè ſanguinolentus erat.

Fiebant etiam ex membranis, ut docet Martialis libro citato ep.5.

Eſſe putes ceras, licet hæc membrana vocetur,
Delebis, quoties ſcripta novare voles.

Variis nominibus appellatos fuiſſe Pugillares, Duplices nempe, Triplices, Quintuplices ſcribit idem Poëta in principio libri ſupradicti.

2. Strigiles ſic dictæ à ſtringendo ſeu radendo erant inſtrumenta quædam curva ex ferro, argento, vel auro, & aliquando ex hebeno, quibus Veteres utebantur ad radendas ſordes corporis poſt balnea ſudoremque abſtergendum. Perſius Satir.5.

I puer, & ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.

Illæ ſæpe ungebantur, ut minùs læderent: ſcribit enim Svetonius in Aug. cap.80. hunc Imperatorem callos quoſdam habuiſſe per pectus, atque alvum ex aſſiduo, & vehementi ſtrigilis uſu plurifariam concretos ad impetiginis formam. Oleum autem conſervabatur in gutto (3) ſeu ampulla illud guttatim fundente. De ſtrigilibus inunctis & gutto loquitur Juvenalis Satyr.3.

. . . . . Domus interea ſecura patellas
Jam lavat, & buccâ foculum excitat, & ſonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto.

TABULA X.

10. ANtiquitus mos erat mulieres pretio conducere in funeribus mortuum ubertim deflentes, lachrymaſque reponentes in vaſculis, ſive phialis vitreis, quæ deinde cum oſſibus, cineribuſque adhuc calentibus, nec non odoribus ſimul in urna claudebantur: unde hæc dicendi formula, in antiquis lapidibus ſæpe inſculpta, CVM LACRYMIS POSVERE. Quinque phialas lacrymatorias hic exhibemus, quarum media ſcalptum habet in fundo Mercurium cum petaſo, & talaribus alatis, caduceum geſtantem. Hic Deus apud Lucianum in mortuorum dialogis paſſim introducitur animas eo-

eorum, qui è vita exceſſerunt, ad inferos deducens. Eadem narrat de illo Pauſanias in Arcad. ut & Petronius Arbiter Satyr. cap. 100. *Mercurius, qui animas ducere, & reducere ſolet*. Sic etiam Virgilius lib. 4. Æneid.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Ex quibus liquet repoſitas fuiſſe in iſtis phialis Præficæ, aliarumque mulierum pretio deflentium lacrymas, mortuique cadaver ſive ad rogum, ſive ad ſepulturam cum uberrimo fletu comitantium. De illis Lucillius Satyr. 2.

. . . . . *Mercede quæ*
Conductæ flent alieno in funere Præficæ.

TABULA XI.

HÆc manus ænea, cujus magnitudo, diverſaque ſigna hieroglyphica hic exhibentur, in celebri Muſeo Joannis Petri Bellorii aſſervata votum quoddam pro ſalute prolis à conjuge ſuſceptæ Serapidi ſolutum repræſentat. Sed à quonam? prorſus ignoratur: etenim in ea nulla extat nominis mentio; licet tamen ex artificis induſtria, votique nobilitate conjectare eam ab aliquo & opibus, & ingenio pollente Romano forſan, etiamſi Ægyptiorum Numini conſecratam, cùm in Urbe cunctæ populorum ſubactorum religiones reciperentur, & maximè Ægyptiorum, qui doctiores, & ſapientiores habebantur. *Hæc tamen Ægyptia quondam, nunc & ſacra Romana ſunt*. Ait Minutius Felix in Octav. Quidquid ſit hanc manum Serapidi ex ejuſdem Numinis imagine dicatam fuiſſe conſtat, & fortè Deûm Matri Iſidi, ſive rerum naturæ parenti, cujus in pompa manus præferebatur, ut narrat Apulejus lib. 11. Metamorph. forſan quòd hæc Dea manum ſacram in pompa oſtentaſſet. Votum autem pro maſculina ſobole ſolutum indicat manus dextra, ſiquidem illa maſculæ virtutis ſymbolum eſt. Nunc ad obſcuriora, & primùm ad interiorem manus partem deveniendum. Illa tres digitos pollicem, indicem, & medium elevatos, reliquos duos annularem, & minimum contractos oſtendit, eo modo, quo

Ve-

Veteres ſignificabant verba ſe velle facere ad populum. Apulejus lib.2. Metamorph. *Ac ſi aggeratis in cumulum ſtragulis, & effultus in cubitum, ſubrectuſque in torum porrigit dexteram, & adinſtar oratorum conformat articulum, duobuſque infimis concluſis digitis ceteros eminentes porrigit, & infeſto pollice clementer ſubrigens infit.* Qui geſtus eſt etiam Epiſcoporum populum benedicentium. Indici, & medio ſubjecta eſt imago Serapidis, ſive Oſiridis, quem Æſculapium à quibuſdam vocatum ſcribit Tacitus lib.4. Hiſt. cap. 84. ut diximus Sect. II. in explicatione imagunculæ Æſculapium cum modio in capite repræſentantis. Accipiebatur etiam Serapis pro Sole, teſte Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 20. cui medendi poteſtas ideò attribuebatur, *quia temperatus Solis calor morborum omnium fuga eſt*, inquit idem Macrobius ſubjungens Apollinem, qui idem eſt cum Sole, aſpellentem mala intelligendum eſſe: unde non mirum eſt, ſi votum pro ſalute pueri Æſculapio, Soli, & Apollini, ſub Serapidis imagine ſolvitur. Infans in amplexu matris talari veſte obtectæ, ut decebat pudicam matronam, in lectulo decumbentis in ima parte cernitur: adſtat Ibis ſymbolum Lunaris Genii, & præſidis in humidum elementum, per quam Ægyptii Lunarem vim ſolebant deſignare, Iſidi ſive Lunæ ſacra, ad cujus rationem eam ova fingere ſcribit Ælianus totidem videlicet diebus, quot creſcit, & decreſcit. Sic etiam per Scarabæum Solem indicabant, ut docet Porphyrius apud Euſebium lib.3. Præp. Ev. cap. 3. Κανθάρου δὲ ἀμαθὴς μὲν βδελυχθείη ἂν ἀγνώμων ὑπάρχων τῶνθείων. Αιγύπλιοι δὲ ἐσέφθησαν, ὡς εἰκόνα Ηλίϐ ἔμψυχον. κάνθαρος γὰρ ὧῆς ἄῤῥην, καὶ ἀφιεὶς τὸν θορὸν ἐν τέλματι, καὶ ποιήσας σφαιρῳδῆ, τοῖς ὀπιθίοις ἀνταναφέρῳ ποσὶν, ὡς Ηλιος οὐρανὸν, καὶ περίοδον ἡμερῶν ἐκδέχεται Σεληνιακήν. *Jam verò Scarabæum*, inquit, *ſtultus fortè quiſpiam deteſtetur, utpote divinis in rebus hoſpes, & peregrinus: at hunc Ægyptii quaſi vivam, ac ſpirantem Solis imaginem venerari ſolent. Nam & Scarabæus omnis mas eſt, & ſemen in paludem immiſſum, ac ſphæricam in figuram conformatum poſtremis pedibus in averſam partem convolavit, Solis in cælo motum æmulatus, integramque Lunæ dierum converſionem expectat.* Mirabiles enim hujus inſecti operationes Solaribus ſimiles apparent, de quibus eruditè loquitur Ruellius lib. 2. de ſtirp. his verbis. *Quin & Scarabæus omnis cognitum animal*

totidem digitis, aut potiùs pedibus innititur, quot diebus menſis conſtat, in quibus exoriens Sol ſuos proſequitur curſus: is Solis, & Lunæ coitum nobis apertè demonſtrat; quandoquidem è bubulo ſtercore pilulam ab ortu ad occaſum rotando verſans in orbis imaginem effingit quem in viginti & octo diebus facto humi ſcrobulo adobruens tantiſper cælat, dum ſigniferum ambiens Luna ad intermenſtruum revertens ſileat, aperto tum orbiculo novam prolem edit, nec aliam naſcendi novit originem. Et ſic per Scarabæum nil aliud indicatur, niſi maſcula quædam virtus Solis, quem Veteres mundi animam, rerumque fatorem appellabant; & de quo, ut ſcribit Macrobius lib. 1. in ſomn. Scip. cap. 6. vitam omnia mutuantur. Unde ſicut Oſiridem cenſebant eſſe virtutem quamdam generativam, ita & Iſidem vim naturæ fœminam totius ſuſceptricem generationis. Etenim Sole, & Lunâ præcipuè vita noſtra moderatur, teſte eodem Macrobio lib. cit. cap. 20. & utriuſque luminis beneficio hæc nobis conſtat vita, quâ fruimur. *Sol* (inquit ille lib. 1. Sat. cap. 19.) *auctor ſpiritus caloris ac luminis, humanæ vitæ genitor & cuſtos eſt: & ideò naſcentis dæmon, ideſt, Deus creditur: Luna τύχη, quia corporum præſul eſt, quæ fortuitorum varietate jactantur.* Scribit Firmicus Maternus lib. 2. Matheſ. omnem ſubſtantiam corporis humani ad poteſtatem Lunaris Numinis pertinere; unde dux naſcentium vocabatur, & à parientibus ſolebat invocari. Quoniam tamen illa non prodeſt ſine Solis aſpectu: hinc Scarabæus in media manu poſitus eſt, in ima verò parte Ibis Lunam indicans, quæ virtute, & calore Solis fota cum eo ad generationem rerum omnium perficiendam concurrit; horum enim aſtrorum influxu tota natura ſuſtinetur, ſicque per Scarabæum & Ibin pueruli generatio videtur innui. Scarabæus etiam, ut favorabile amuletum, animi fortitudinem deſignabat; Ibis verò vim quamdam malorum averruncativam, eratque Ægyptiis ſalubritatis ſymbolum, & augurium, quoniam clyſterem, qui apud eos in frequentiſſimo uſu erat, reperiſſe putabatur. Per menſam ſive tripodem Serapidis imagini ſubjectum, & dolabram vel gladium in pollice voventium ſacrificia pro ſalute puerili deſignantur: gladius ad ſacra Mythræ, qui idem erat cum Serapide & Sole, poteſt etiam referri; & fortè pueri pater mythriacis ſacris initia-

tiatus, fictumque & mimicum paſſus martyrium idem augurabatur filio; de hoc ſimulato martyrio conſule Tertullianum lib. de Cor. Milit. & lib. de Præſcript. Diogenem gladio verba comparaviſſe narrat Valerianus lib.42. ille ſymbolum erat eloquentiæ & principatus, quæ bona puerulo ominabantur; ut & ſapientiæ & divinationis ſcientia per tripodem ſignificata; tripus enim Apollini ſacer erat, & aureus videbatur in aditu Templi Apollinis Delphici, de quo mentionem facit Herodotus in Calliop. Mors etiam gladio indicabatur, infanti forſan diuturno morbo minitata, ſed à qua Deorum ope ſacrificiis per tripodem deſignatis propitiatorum liberatus erat.

TABULA XII.

ALtera manus facies plura refert ſigna hieroglyphica; & primùm Rana occurrit in medio digito poſita, quæ ſine pedibus naſcitur, pedeſque deinde poſteriores aſſumit, teſte Horo lib. 2. Infans, qui tum ætate nimium tenerâ, tum vi morbi impeditus ſe movere non potuerat, convaleſcens paulatim incepit progredi. Crocodilus autem in media manu repens, animal perſpicaciſſimum, & linguæ uſu carens, ſi fides Plinio lib.8. cap. 25. ſilentium ſapientibus Deæque Iſidi gratum, ac quamdam in rebus providentiam puero fortè ominatur. Scribit Valerianus lib.29. Crocodilo tergus monſtrante hominem invictum ſignificari, propterea quòd ille adeo ſit ſupernè corticoſus, ut contra omnem ictum invictus habeatur. Puerum tandem amiſſam ſalutem recuperaſſe Serpens ſolitus Æſculapii typus denotat: illi enim, qui medicinâ utuntur, velut infirmitatis pelle depoſitâ renovantur ut Serpentes; narrat Plinius lib. 29. cap. 24. Serpenti multa ineſſe remedia, unde ille in antiquis numiſmatibus ſalutis ſymbolum eſt. Menſe verò Septembri puerulum convaluiſſe ex Libra conjicitur, quo tempore dies nocteſque æqualiter procedunt, Virgilius lib. 1. Georgic.

Libra diei ſomnique pares ubi fecerit horas,

Et quidem in ſeptimo infirmitatis menſe, manum enim in hunc modum compoſitam indicare numerum ducenteſimum do-

docet Valerianus. At teſtudinis exemplo animalis tardè incedentis, domoque numquam egredientis infans paulatim quidem pedibus uſus eſt, ſed ob debilitatem ex morbo contractam domi diutiùs manere coactus fuit. Votum Serapidi, & Iſidi ſolutum denotat urnula in utriſque ſacris adhiberi ſolita, ſiquidem illam in hujus Deæ pompa illatam refert Apulejus lib. 11. Metam. cymbii anſati mentionem faciens. Urna etiam Oſiridi ſacrata erat, utpote humidæ naturæ Domino. Plutarchus de Iſ. & Oſ. Καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ὡς τιμῆς τοῦ θεοῦ. *Et ante ſacra in pompa ſemper procedit vas aquarium in honorem Dei.*

TABULA XIII.

SEquitur altera manus ænea extans in nobiliſſima pinacotheca Barberina: illa duplò grandior circiter eſt, quàm hæc imago; ſed præcedente, quam expoſuimus, eò pretioſior, quòd in ea plura ſigna hieroglyphica continentur, voventiſque nomen patet ex inſcriptione CECROPIVS. V. C. VOTVM. S. *Cecropius voti compos votum ſolvit*. Quiſnam fuerit Cecropius ille, nil apud Scriptores reperitur; forſan à Cecropide Athenienſium Rege, ſeu potiùs à Tribu ejuſdem nominis, ex qua oriundus erat, hanc traxit denominationem. Votum autem pro ſalute pueruli factum hæc manus dextra haud dubiè repræſentat: illa digitos eo modo compoſitos habet, quo jam in præcedenti explicatione diximus, & quia tædioſum eſſet eadem repetere, ad alia progrediamur. In imo partis manus interioris exhibetur puer in amplexu matris ſtolatæ more pudicarum matronarum, in lectulo decumbentis, pro cujus ſalute hoc votum Ammoni ſalutari Genio, Iſidi rerum naturæ parenti, & ſalutis auctori Æſculapio factum fuiſſe videntur indicare caput arietinum, nux pinea, & Serpens ſive Draco manum ambiens. Ammon fœcunditatis, & generationis Genius habebatur apud Ægyptios, qui ab eo vitam rerum omnium fœcundam, cœlorumque benignitatem concedi putabant: hinc illius nomen tamquam favorabile amuletum laminis inciſum, & pectori affixum gerebant, tantùmque huic nomini tribuebant, ut ſolâ illius invocatione

ne

ne magnis bonis ſe repleri crederent; ut docet Kircherius lib. 5. Obel. Pamphil. fol. 494. Hæc ſuperſtitio viguit etiam apud Romanos, qui Ammonem naturæ conſervatorem exiſtimabant, ut legitur in Salonini nummo Arietem exhibente cum hac epigraphe. AMMONI CONSERVATORI. Nux pinea, Deûm matri Iſidi propria fuit. *Quid ſibi vult illa pinus* (inquit Arnobius lib. 5. adv. Gentes) *quam ſemper ſtatis diebus in Deûm matris intromittis ſanctuario? nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix Divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit.* Huic Deæ non modo puerorum tutela, ſed & valetudinis cura adſcripta fuit, teſte Diodoro lib. 1. cujus hæc ſunt verba. Φασὶ δ' Αιγύπτιοι τον Ισιν φαρμάκων τὲ πολλῶν πρὸς ὑγείαν ἄριστιν γεγονέναι, τὸ σύνολον πολλὰ μηχανήσασθαι. διὸ καὶ νῦν τυχοῦσαν, ἀθανασίας, ὅτι ταῖς θεραπείαις τῶν ἀνθρώπων μάλιστα χαίρει, καὶ κατὰ τὸς ὕπνους τοῖς ἀξιοῦσι δίδοναι βοηθήματα, φανερῶς ὑποδεικνυμένην τήν τε ἰδίαν ὑποφάνσαν, καὶ τὸ πρὸς τοὶς δεομένους τῶν ἀνθρώπων εὐεργετικόν. *Iſin multa ſanitati hominum pharmaca inveniſſe Ægyptii tradunt, utpote quæ ſcientiæ medicæ fuerit peritiſſima, adeoque multa ſolerter excogitaſſe. Quam ob cauſam nunc quoque ad immortalitatem elata, ſanatione hominum maximè gaudeat; & in ſomnis, ſi quis opem expetierit, manifeſtam numinis præſentiam, promptamque indigentibus bene merendi facultatem exhibeat.* Et paucis interjectis. Κατὰ γὸ τοὶς ὕπνους ἐφισαμένην δίδοναι τοῖς κάμνουσι βοηθήματα πρὸς τὰς νόσοις, καὶ τὸς ὑπακούσαντας αὐτῇ, παραδόξως ὑγιάζειν, καὶ πολλὸς μὴν ὑπὸ τῶν ἰατρῶν διὰ τὴν δυσκολίαν τοῦ νοσήματος ἀπελπισθέντας, ὑπὸ ταύτης σώζεσθαι, συχνοὶς δὲ παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὄψεις ἢ τινα τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ σώματος, ὅταν πρὸς ταύτην τὴν θεὸν καταφύγωσιν, εἰς τὴν πρώτην παρξασαν ἀποκαθίσασθαι τάξιν. εὑρεῖν δ' αὐτὴν καὶ τὸ τῆς ἀθανασίας φάρμακον, &c. *In ſomnis enim adſiſtentem ægrotis remedia contra morbos ſubjicere, eique morigerantes nec opinato convaleſcere. Multos etiam à Medicis propter morbi difficultatem deſperatos ab hac ſalutem accipere, plurimoſque oculis prorſus captos, aut aliâ corporis parte mutilatos, ſi ad Deæ hujus opem confugerint, in priſtini vigoris integritatem reſtitui. Invenit illa immortalitatis pharmacum, &c.* Æſculapio quoque ut ſalutis authori ſacratum fuiſſe hoc donarium indicat Serpens manum ambiens, ſolitus hujus Dei typus, de quo multis in locis egimus, & diffusè loquitur Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 20. Triplex etiam infirmitatis pueruli ſta-

tus

tus præmiſſis tribus hieroglyphicis fortè deſignatur. Nux pinea in apice pollicis principium fuiſſe lethale videtur innuere; fertur enim pinum ſemel amputatam nova germina numquam emittere. Sole deinde Arietem ingrediente morbus declinavit; Ammon etenim omnium ſaluti credebatur proſpicere. Serpente verò felix morbi exitus optimè indicatur: ſiquidem convaleſcentes infirmitatis pellem exuere dicuntur, novamque induere ut Serpentes. Folium ficus in pollice poſitum arboris omnium plantarum ſucci pleniſſimæ ob humoris copiam ſymbolum irrigationis, & fetationis perhibebatur apud Ægyptios, teſte Plutarcho lib. 6. Sympoſ. quæſt. 10. & maximè in opuſculo de Iſ. & Oſir. ubi hæc ſcribit. Οὐ μόνον δὲ τὸν Νεῖλον ἀλλὰ πᾶν ὑγρὸν ἁπλῶς Οσίριδος ἀποῤῥοὴν καλοῦσι. καὶ τῶν ἱερῶν ἀεὶ προπομπεύει τὸ ὑδρεῖον ὅπερ τιμῆς τοῦ θεοῦ. καὶ θρίῳ βασιλέα δὲ τὸ νότιον κλίμα τοῦ κόσμου γράφουσι, δὲ μεθερμηνεύεται τὸ θρίον ποτισμὸς δὲ κίνησις πάντων, δοκεῖ γὰρ γονητικῷ μορίῳ τὴν φύσιν ἐοικέναι. *Non ſolum autem Nilum, ſed omnem ſimpliciter humorem defluxum Oſiridis vocant: & ante ſacra in pompa ſemper præcedit vas aquarium in honorem Dei, & ficus folio regem, ac meridionale mundi clima pingunt, interpretanturque folium ficus irrigationem, & fetationem omnium, videturque naturâ ſimile genitali membro.* Ficum apud Athenienſes ſacram appellatam fuiſſe, docet idem Plutarch. lib. 7. Sympoſ. quæſt. 4. & fortè Cecropius ex tribu Athenienſi oriundus eamdem pro hac arbore venerationem conſervaverat. Ficus alba ex felicibus arboribus habebatur, ſi fides Macrobio lib. 3. Saturn. cap. 20. Per Tripodem Suidas ſignificari dicit triplicem temporis præteriti, præſentis, & futuri differentiam Soli rerum omnium modetori convenientem, quem Ammonem exiſtimatum fuiſſe refert idem Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. Tripus etiam Apollini dicatus & ſapientiam, & divinationem denotat. Cymbium anſatum in pompa Iſidis illatum memorat Apulejus lib. 11. Metam. Urna quoque Oſiridi, ſive Serapidi ſacrata erat, utpote humidæ naturæ Domino, unde in ejus ſacris ſemper ferebatur vas aquarium, ut diximus; Serapidem autem, & Jovem, qui ipſiſſimus eſt cum Ammone, eumdem eſſe declarat Apollinis oraculum apud Julianum Imperatorem Orat. 4.

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀίδης, εἷς Ἥλιος ἐστι Σάραπις
Unus Jupiter, unus Pluto, unus Sol est Serapis.

Meminit Apulejus in supradicta Isidis pompa alterius *vasculi* huic similis, quod exhibetur in hac imagine, *in modum papillæ rotundati, de quo lacte libabant*, quod symbolum videtur fuisse fœcunditatis Niloticæ. Simpulum refert aliud tertium vasculum, quod Festus describit, *vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur*; & simile sæpius in Museis observari diximus Sect. III.

TABULA XIV.

IN exteriori manus parte quædam exhibentur signa, veluti Crocodilus, Rana, Testudo, & Libra, de quibus in præcedentis manus expositione pro ingenii nostri modulo egimus; unde nunc superest, ut ad reliqua procedamus. Anguis, vel potiùs Vermis oculis, ut videtur, orbatus in digito indice primus occurrit, qui fortè puerum vexans, ejus morbi causa fuit. Flagrum in sacris Isidis usurpatum, scribit Apulejus lib. 8. Metam. Erat etiam illud dominationis symbolum apud veteres, teste Svetonio in Aug. cap. 94. Ciceronis somnium referente his verbis. *M. Cicero C. Cæsarem in Capitolium prosecutus, somnium pristinæ noctis familiaribus fortè narrabat: puerum facie liberali, demissum cœlo catenâ aureâ, ad fores Capitolii constitisse, eique Jovem flagellum tradidisse: deinde repente Augusto viso, quem ignotum adhuc, plerisque avunculus Cæsar ad sacrificandum acciverat, affirmavit ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi observata sit.* Potest etiam flagrum referri ad lupercalia in luco Junonis, quæ eadem credebatur Isis, sub monte Exquilio XV. Calen. Martii celebrari solita, ubi novæ nuptæ palmas Sacerdotibus Lupercalibus verberandas offerebant, existimantes talia verbera fœcunditatem afferre. Ovidius lib. 2. Fastor.

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optati nomen habebit avi.

Terga quoque verberanda præbuiſſe docet idem Poëta lib. cit.

Ille caprum mactat; juſſæ ſua terga maritæ
Pellibus exſectis percutienda dabant.

Quod innuit etiam Plutarchus in Romulo. Αἱ δὲ ἐν ἡλικίᾳ γυναῖκες δὺ φεύγουσι τὸ παίεσθαι, νομίζουσαι πρὸς εὐτοκίαν καὶ κύησιν συνεργεῖν. *Mulieres adultæ* (inquit) *non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem, & partum ratæ.* Pueruli mater ad ſterilitatem avertendam flagrum hujuſmodi forſan exploraverat. Serpens criſtatus, ſive Draco manum ambiens Æſculapio ſalutis numini ſacer habebatur, ſiquidem, teſte Euſebio lib. 1. Præp. Ev. cap. 7. Philonis ex Sanchuniatone verba referente, Taautes Draconis, Serpentumque naturæ aliquam tribuebat divinitatem, & apud Phœnices, & Ægyptios hoc animantium genus in ſacris myſteriis adhibebatur, ſalutis corporis, & animæ ferens ſymbolum, ut tradit idem Euſebius lib. 3. cap. 3. Enimverò cetera reptilia craſſioris & terreſtris ſubſtantiæ ſunt; Serpens verò ſpiritaliſſimum eſt animal, vi & copiâ ſpiritus abundans, igneam naturam habens, maximamque præ ſe ferens celeritatem; cùm neque pedum, neque manuum, neque alterius exterioris membri adminiculum habeat. Præterea diuturnæ admodum vitæ eſt, corporis enim imbecillitatem non ſolùm exuit, verùm etiam majora corporis, & virium accipit incrementa, & niſi vi quadam percuſſum fuerit, morte naturali minimè extinguitur, nam ad reviviſcendum herbam quamdam noſſe narratur. Illud Phœnices bonum Dœmonem, Ægyptii verò Cnephum nuncupaverunt. Iſidi quoque Serpentem conſecratum, docet Ælianus narrans hujus Deæ ſimulacrum quodam Aſpidum diademate coronatum ab Ægyptiis effingi, Serpentemque in ejus pompa ferri ſolitum. Per cornucopiæ frugibus, & fructibus refertum fœlicitas, & abundantia; per caduceum prudentia, & eloquentia, pax, & concordia, ac in negotiis gerendis ſagacitas puerulo fortè ominabantur: etenim cornucopiæ, & caduceus harum rerum indicia ſunt; ſic in æreo Vitellii nummo exhibetur duplex cornucopiæ caduceo intermedio pacem, & concordiam, omniumque rerum abundantiam ex adventu Imperatoris proventuras indicans. Pertinet

tinet etiam caduceus ad hominum genituram, teſte Macrobio lib. 1. Saturn. cap. 19. *Argumentum caducei ad genituram quoque hominum, quæ Geneſis appellatur, Ægyptii protendunt.* Mercurialem caduceum à tertio ſacrorum Antiſtite in pompa Iſidis illatum recenſet Apulejus lib. 11. Metam. ſic etiam thyrſos, & hederas in Oſiridis ſolemnitatibus memorat. *Nam proximâ nocte*, ait, *vidi quemdam de ſacratis linteis intectum, qui thyrſos, & hederas, & tacenda quædam gerens ad ipſos meos Lares collocaret.* Oſiris idem habebatur cum Dionyſio, ſive Baccho, & apud Ægyptios hedera Oſiridis planta vocabatur. Tibiæ in ſacris Ægyptiacis uſitatæ meminit idem Apulejus lib. cit. *Symphoniæ dehinc ſuaves, fiſtulæ, tibiæque modulis dulciſſimis perſonabant.* (Et mox) *Ibant & dicati magno Serapidi Tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem Templi, Deique modulum frequentabant.* Tibia ſacris peragendis dicata parentum vota pro ſalute pueruli ſoluta videtur innuere, ſiquidem in Matris Deûm, ſive Iſidis ſolemnitatibus tibiam ſonari ſolitam ſcribunt Seneca in Agamemn. verſ. 686. & Sidon Apollinaris Carm. 9. verſ. 202. Sic etiam Ovidius lib. 4. Faſtor.

Protinus inflexo Berecynthia Tibia cornu
Flabit, & Idææ feſta parentis erunt.

Tibias in ſacrificiis, ſacriſque peragendis fortè ad iratos Deorum animos demulcendos (ut loquitur Arnobius lib. 7. adverſ. Gent.) uſurpatas fuiſſe patet ex antiquis nummis, & toreumatibus ſacrificia exhibentibus, necnon inſcriptionibus apud Gruterum pag. 175. & 269. in quibus de Tibicinibus Romanis, eorumque & Fidicinum collegio, qui S. P. P. S. ideſt, qui *Sacris Publicis Præſto ſunt*, mentio reperitur. Tibiæ cantum in curatione morborum introductum fuiſſe teſtantur multi authores; ſic Democritus apud Gellium in libro, cui titulus eſt de peſtibus, *refert plurimis hominum morbis medicinam fuiſſe incentiones tibiarum.* Tibicinibus veſci in Capitolio permiſſum fuiſſe declarant Cenſorinus de Die Nat. cap. 12. ubi de muſica loquitur, & Livius lib. 9. narrans Tibicines in æde Jovis, ut antiquitus, veſci prohibitos Tibur uno agmine abiiſſe; deinde verò iis, qui ſacris præcinerent, in hac æde jus veſcendi reſtitutum. Ex quibus patet tibiarum cantus

tam in ſacris Cybeles, ſive Iſidis; quàm in curatione morborum, cui præerat Æſculapius, adhibitos eſſe, necnon Tibicines ſub tutela, ac præſidio Jovis, qui idem habebatur cum Ammone, latuiſſe, quibus Diis hanc votivam manum dicatam demonſtravimus. Tibiam autem, & Thyrſum in feſtis circumferri ſolitos nil aliud denotaſſe, tradit Kircher. lib. 4. Obel. Pamp. hier. 19. *Niſi plantationem vitis, & muſicæ inventionem, hoc eſt, vitæ liquorem, & harmoniam rebus ſingulis inexiſtentem, quâ ſuprema mens mundum, & quæ in mundo exiſtunt, locupletavit.*

TABULA XV.

ANtiquitus ſigna legionum apud Romanos erant Aquilæ, Lupi, Minotauri, Equi, & Apri, quorum ſimulacra ſingulos ordines anteibant: ſola deinde Aquila in acie portabatur, ceteris in caſtris relictis: ſed Marius ſecundo ſuo Conſulatu reliquis in totum abdicatis Aquilam Romanis legionibus propriè dicavit. Author eſt Plinius lib. 10. cap. 4. Illam ſummæ haſtæ impoſitam Aquilifer portabat, & erat primum totius legionis ſignum, teſte Vegetio lib. 2. cap. 13. qui hanc legionis diviſionem refert. *Legio in decem cohortes diviſa eſt; cohors autem in quinquaginta manipulos; & manipulus rurſum in vigintiquinque milites.* Ex quibus liquet ſingulam cohortem mille ducentorum quinquaginta militum conſcriptam fuiſſe, legionem verò duodecim & quingentorum, cum antea quatuor millium, deinde ſex millium & ducentorum tantùm fuiſſet, ſi fides Pompejo. Signa militaria inſignia erant cohortium, quæ per ea diſcernebantur, ut docet Tacitus lib. 1. Ann. ne autem acies turbaretur, militeſque à contubernalibus aberrarent; ſingula cohortium ſigna quibuſdam notis, ac litteris diſtincta fuiſſe, ſcribit Vegetius loco cit. Primis Reipublicæ temporibus manipulo fœni, aut alterius herbæ perticæ alligato Romani pro ſignis utebantur. Ovidius lib. 3. Faſtor.

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.

Succedentibus verò annis manum vice fœni, aut herbæ, ad ma-

manipuli voci fortè alludendum, haſtæ impoſuerunt, clypeolis totam haſtam tegentibus, qui Deorum, & Imperatorum, virorumque Principum imagines referebant, ut legitur apud Svetonium in Calig.cap.14. narrantem Artabanum Parthorum Regem Aquilas, & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoraſſe. Sic etiam Herodianus lib. 8. mortem Maximi à militibus occiſi referens. Τὰς τε εἰκόνας ὧν τῶν σημείων καταςπῶσι, ἐς αὐτὸν τὸν τῷ παιδὶ προελθόντα τῆς σκηνῆς, ὡς δὴ ἀρα διαλέξαιτο αὐτοῖς, οὐκ ἀναχώμενοι ἀναιροῦσι. *Poſtquam de ſignis militaribus illius imagines detraxerunt, prodeuntem mox tentorio cum filio, ut ad eos loqueretur (hoc illi non conceſſo) continuò obtruncant.* Druſi quoque imaginem, ut & ipſius Sejani inter ſigna fuiſſe patet ex Tacito lib. 1. Ann. & Svetonio in Tib. cap. 48. Apud Romanos ſigna militaria in pari veneratione tenebantur ac Deorum ſimulacra, Tertulianus in Apolog. *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus Diis præponit.* Illa in rebus lætis, ac feſtis diebus inungebantur, ſi credendum Plinio lib.13. cap.3. *Aquilæ ac ſigna pulverulenta illa, & cuſtodiis horrida inunguntur feſtis diebus.* Eadem floribus decorari ſcribit Claudianus.

. . . . . *Mavortia ſigna rubeſcunt*
Floribus, & ſubitis armantur frondibus haſtæ.

Erant illæ inferiori parte acutæ, ut in terram facilè defigerentur. Virgilius lib. 6. Æneid.

Stant terræ defixæ haſtæ.

Poſteriori ævo his ſignis in totum abdicatis uſurpatos fuiſſe Dracones, tradit Vegetius. Aquila pariter Legionaria extat penes Joſephum Felice Clementis XI. Prælatum domeſticum.

TABULA XVI.

SIgnum Victoriæ alatæ lauream manu gerentis tamquam felix omen in Romanorum acie portabatur, ut apparet in Columna Trajana, variiſque toreumatibus antiquis Victorias huic, quam exhibemus, ſimiles Vexillis impoſitas referentibus. Iſtæ imagunculæ forſan erant illæ, quæ vel boni ominis causâ Imperatoribus ad bellum proficiſcentibus, vel iiſdem ob imperii primitias offerebantur, & de quibus hæc

hæc ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 28. *Quâ ſpe Tripolitani fruſtrati, formidanteſque extrema, adlapſo legitimo die Concilii, quod apud eos eſt annuum, Severum, & Flaccianum creavere Legatos, Victoriarum aurea ſimulacra Valentiniano ob Imperii primitias oblaturos*. Hæc Victoriola, quæ pulcherrima, & elegantiſſima eſt, ſummæ haſtæ procul dubio imponebatur; & ad hunc effectum, ut conjectare licet, perforata fuit. Aſſervatur illa in nobiliſſimo Petri Antonii Rolandi Magnini gazophylacio, quod fuit olim Caroli Magnini ejus patrui rei antiquariæ ſtudioſiſſimi. Multa in eo præclara, & rara cuſtodiuntur; ſed præſertim ſuperbiſſimæ, & ditiſſimæ armaturæ, Idola Ægyptia parva quidem ex ære, at ex lapide ad naturalem magnitudinem accedentia, antiquæ Lucernæ, numiſmata, gemmæ, marmorea exquiſitiſſimi artificii toreumata, eximiorum pictorum tabulæ, aliaque tum antiquæ tum modernæ magnificentiæ monumenta, quæ, ſummâ Domini comitate & affabilitate, extraneorum admirationi quotidie proponuntur.

TABULA XVII.

VExillum pro quolibet Signorum genere accipiebatur; propriè tamen erat Equitum, modicum habens velum quadratum ad haſtam in modum crucis expanſum, de quo multis in locis Vegetius. Quidam pro Vexillo Labari vocem ſubſtituunt, ſed abſque ullo probabili legitimoque fundamento; ſiquidem ante inferius ævum nuſquam apud antiquos ſcriptores Labari mentio, ut in ſuo Vitæ Humanæ Theatro notavit Laurentius Beyerlinck in voce *Labarum*. *Tempore Tertulliani videtur ea vox cognita nondum fuiſſe; conſtat autem Conſtantinum Imperatorem ſtatim à converſione Labarum formaſſe in ſignum crucis*. Etenim apud Tertullianum non Labari, ſed Vexilli, & Cantabri nomina leguntur: ſic in Apolog. cap. 16. *Omnes*, inquit, *imaginum ſuggeſtus inſignes monilia crucium ſunt: ſypara illa Vexillorum, & Cantabrorum ſtolæ crucium ſunt*. Quam ſententiam confirmat eruditiſſimus Baronius Annal. Eccl. to. 1. anno ſal. 312. cap. 5. his verbis. *Sed quod ad Labari antiquitatem pertinet, facilius erit in vetuſtis Im-*

pe-

peratorum victoriarum monumentis ſculpta oculis ſpectare Labaro ſigna ſimilia, quàm ejus nomen apud veteres Scriptores Ethnicos legere. Ceterùm Vexillorum appellatione illud expreſſiſſe, eademque Cantabra etiam nuncupaſſe, ex iiſdem, quos citavimus, Tertulliano, & Minutio manifeſtum redditur. Cantabra autem à Cantabris in Hiſpania populis dicta putat idem Cardinalis, qui hanc differentiam inter Vexilla, Cantabraque, ac Labara fuiſſe ſcribit, quòd illorum vela tranſverſæ haſtæ ſic alligata erant, ut rugas aliquas ſui contractione admitterent: at in Labaris ſic erant expanſa, ut integras in ſe depictas exhiberent imagines, ut videre licet in plurimis toreumatibus, nummiſque antiquis, & maximè in duobus hìc exhibitis, in quorum uno ad Ælium Cæſarem pertinere repræſentatur Pannonia dextrâ Vexillum gerens, ſiniſtrâ ſtolam ſublevans. In altero adverſam Conſtantini nummi partem referente, ſtant duo milites haſtati clypeis innixi Labaro intermedio. Prætereà in exercitu plura erant Vexilla, Labarum autem nonniſi unum, velum habens ex purpura, auro, gemmiſque circumtextum, Imperatoribus ſolitum præferri, in quo Conſtantinus characterem hieroglyphicum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti ſignificantem inſcribi juſſit, in memoriam ejus ſigni eidem bellum contra Maxentium moventi in Cœlo viſo cum his verbis. IN TOYTΩ NIKA. IN HOC VINCE. Euſeb. in Vita Conſtant. lib. 1. cap. 24.

TABULA XVIII.

ELegans antiqua pictura in fronte Operis poſita in nobiliſſimis ædibus Barberinis aſſervata jampridem ab erudito viro Jo. Petro Bellorio in libro, quem *De fragmentis veſtigii veteris Romæ ex lapidibus Farneſianis* edidit, vulgata eſt. Sed quoniam de illa ne minimum quidem verbum protulit, utpote ornamenti tantùm causâ in illo opere poſita; nos breviter aliquid de illius expoſitione hìc delibare propoſuimus. Sedet Roma Gentium Domina, galeata, gemmato monili ornata, talari ſtolâ obtecta, chlamide ſeu peplo in extrema limbi ora depicto induta, pallio ſuperimpoſito: dextrâ ſceptrum tenet potentiæ ſymbolum, læva unionibus exornatâ Victorialam alte-

terâ manu globum, alterâ Vexillum, in quo S. P. Q. R. Duæ aliæ Victoriolæ ejus humeris impoſitæ ſunt; ex utraque Sellæ parte duo Cycni, totidemque imagunculæ Caſtorem, & Pollucem haud dubiè repræſentantes. In parte dextra clypeus topiariâ effigie deſcriptus. Caſtor, & Pollux fratres gemini, Jovis in Cycnum transformati ex Leda Tyndari Laconiæ regis uxore filii, tutelaria Romanorum Numina crediti fuêre, quibus ædem A. Poſtumius Dictator bello Latino vovit, extruxitque anno U. C. CCLVII. tali de cauſa. Cùm Tarquinius ex Urbe ejectus ad Octavium Mamilium Tuſculanorum Ducem generum ſuum confugiſſet; amboque Latio concitato apud Lacum Regillum cum A. Poſtumio Dictatore magnis viribus confligerent; victoriâ nutante duo primæ lanuginis juvenes Caſtor, & Pollux Romanorum partium propugnatores, Romanum equitatum candidis equis præcedentes, Latinas copias penitus fuderunt. Finito prælio ipſimet adoleſcentes equis ſudore madentibus inſidentes in Romano Foro apparuerunt, ubi multis eos circumdantibus, rogantibuſque, ecquid novi ab exercitu afferrent, pugnam, & victoriam indicavêre, foroque egreſſi numquam poſtea comparuerunt, licet per totam Urbem valde quæſiti, ut dignis muneribus honorarentur. Senatus deinde litteris A. Poſtumii certior factus eos in prælio viſos fuiſſe, veroſimili conjecturâ fratres Dioſcuros ſaluti Reipublicæ invigilantes credidit, Templumque illis in foro Romano, ubi eorum imagines apparuerunt, conſtrui decrevit. Eoſdem narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. P. Vatinio, Reatinæ Præfecturæ viro, Urbem noctu petenti obvios ſe præbuiſſe, Perſenque Regem à Paullo die, qui præterierat, captum nuntiaviſſe. Qui plura de illis volet, adeat Livium lib. 1. Dionyſium lib. 1. Rom. Antiq. Plinium de Viris Illuſtribus, & Plutarchum in Coriolano.

VAS FICTILE 1
P.S.B. Sculp: Ex schedis S.6.

Ex schedis S. 6.



In museo Io. Petri Bellorÿ

S. 6.



VASIS AENEI PARS POSTERIOR
4
In museo Io. Petri Bellorÿ
S. 6.


VAS MARMOREVM 5
P. S. B. sculp. Ex Schedis S. 6.

BVLLA AVREA



P. S. B. Sculp. Apud Em.um Card. Chigium S. 6.




BVLLA. ARMILLA. FIBVLA. ANNVLVS. CLAVIS
1
2
3
4
5
6
7
In Musæo Io Petri Bellorÿ


TESSERÆ
1
2
3
4
8
FRVCTVS
SEXTI
SP·K·FEB·
MISILENOBS·COS
TESSERAM·PAGA
NICAM·L·VERA
TIVS·FELICISSI
MVS·PATRONVS
PAGANIS·PAGI
TOLENTINES·HOS
TIAS·LVSTRET·TESSR
AER·EX·VOTO·L·DD·
V·ID·MAS·FELICIT·S.6.
In Museo Io. Petri Bellorij

1. STYLVS 2. STRIGILIS 3. GVTTVS 9



In Musæo Io. Petri Bellorij S.6.

PHIALÆ LACHRYMATORIÆ



S.6.

1. *Apud I.P. Bellorium* — *Reliquæ apud Authorem*

MANVS ÆNEÆ PARS INTERIOR 11

Apud I. P. P. S. B. Sculp. Bellorium S6


MANVS ÆNEÆ PARS EXTERIOR 12.
Apud I.P. P.S.B. Scalp Bellorium, S.6.

In Museo Barberino S.6.

MANVS.ÆNEÆ. PARS.EXTIMA.

In Museo Barberino

S.6.





P. S. B. Sculp. | Apud P. A. Rolandum M. | S. 6.

VICTORIA
16
Apud P. A. Rolandum M.
S. 6.



Ex numm. Aelij Cæsaris — *Ex numm. Constantini*

Apud M.A. Causeum — *De la Chausse Authorem S.J.*

S.6.

Ex antiqua pictura Barberina



ROMANUM MUSEUM
SIVE
THESAURUS
ERUDITÆ ANTIQUITATIS.

SECTIO SEPTIMA
De Mutini Simulacris.

UONIAM hujus Sectionis titulus, necnon imagunculæ in illa explicatæ ſeverioribus oculis, aut ſcrupuloſioribus in re antiquaria fortaſſe parum verſatis immodeſtiores poſſunt primo intuitu apparere; ne videar oblitus modeſtiæ Viro ingenuo dignæ, ridiculas ethnicæ ſuperſtitionis reliquias dilucidaturus, pudicas aures dictis violare; priuſquam illarum expoſitionem aggrediar, pauca tum de Scriptoribus, qui ſimiles protulerunt, tum de utilitate, quæ ex veterum morum declaratione, pravorumque caſtigatione, nobis redundat, delibare propoſui. Ac primùm ut ſcrupuloſis, quorum virtutem veneror, quantum in me eſt, ſatisfaciam, monendos illos cenſeo Viros pietate illuſtres, mori-

buſque integerrimis obſcæna Veterum Idola, in quibus eruditionis aliquid reconditum eſt, nec deſpuiſſe, nec ab eruditis ſpernenda exiſtimaſſe, clarumque Sacerdotem Joannem Baptiſtam Caſalium virtute, ac doctrinâ conſpicuum æream Mutini Lucernam in ſuo Muſeo aſſervaſſe, quam deinde vulgavit in opere ſuo de veteribus Ægyptiorum Ritibus Romæ edito, ubi hæc verba leguntur cap. 25. *Effigiandas curavi plures, ex meis Lucernis æreis, quæ varia continent ſymbola, nempe Canem, Bovem, Sphingem, Mutinum, ſeu virile membrum, ac etiam Lunam, quæ eſt ſignum Dianæ.* Sed non ſolùm harum typos exhibuit, verùm etiam de Baccho, Priapo, Mutini Idolo, Symboloque Obſcæno integra quatuor ſcripſit capita, IX. nempe XII. XIII. & XIV. libri de profanis Romanorum Ritibus, qui ſupradicti operis partem alteram conficit; quarum ſuperſtitionum expoſitionem Catholicæ noſtræ Religioni utilem arbitratur, hæc ajens in præfatione operis ad Lectorem. *At quamvis multa in epitomen redacta ſint ex Ægyptiorum, & Romanorum ſuperſtitione (quorum mentes ſuccum nequitiæ perbiberunt) non erit ab hoc, inquam, propoſito abhorrens; nam ex horum deteſtatione magis veritas Catholicæ Religionis roboratur.* Quin etiam Joannes Macarius Canonicus Arienſis Abraxam ſeu Apiſtopiſtum, & Joannes Chifletius Canonicus Tornacenſis Philippo Quarto Regi Catholico, & Sereniſſimo Principi Joanni Auſtriaco à ſacris Oratorii Abraxam Proteum, ſeu multiformis gemmæ Baſilidianæ portentoſam varietatem exhibuerunt, ſuiſque eruditis notis illuſtrarunt Cenſoribus, ac Superioribus annuentibus Antuerpiæ impreſſis, in quibus varia Simulacra virilibus erectis conſpiciuntur. Similiter Fortunius Licetus in libro de reconditis Antiquorum Lucernis pudibundas aliquas Lucernas protulit, quarum explicationes *ad emendationem, & ad exemplum, ne veteres improbitates noceant præſentibus Lectoribus*, ſe aggreſſum eſſe profitetur. Sic etiam Leonardus Auguſtinus recolendæ ſemper memoriæ Alexandri Papæ VII. Antiquarius inter ſuas gemmas, quas Romæ Superioribus, ac ſtudioſis omnibus plaudentibus edidit, eidemque Summo Pontifici dedicavit, plurimas vulgavit, phallica ſacrificia, necnon Mutini, & Abraxæ imagunculas referentes, quod opus litteratis adeò per-

gra-

gratum fuit, ut ab annis tribus vel circiter denuò Romæ prælo excuſſum fuerit. Vanum, ac ſuperfluum foret alios modernos authores recenſere virtute, ac doctrinâ præſtantes, qui ſimiles imagunculas exhibuerunt, abditumque illarum ſenſum myſticis involutum hieroglyphicis ſuis eruditiſſimis notis dilucidaverunt: Arnobius quoque, Lactantius Firmianus, Minutius Felix, D. Auguſtinus, aliique Sancti Patres obſcænos Veterum mores retulerunt, falſorumque Numinum Simulacra quibuſcumque ſcrupulis ex animo evulſis deſcripſerunt. Quippe profana illa priſcæ ſuperſtitionis monimenta, turpeſque illæ imagines, quas ethnico errore cæcutientes populi adorabant, eò magis ſanctiſſima noſtræ Religionis myſteria ſummo cultu, ſummâque veneratione digna prædicant. Unde Theodoſius Imperator idolatriæ reliquias volens ſuis acerrimis, & juſtiſſimis edictis extirpare, fœdiores Idolorum ſtatuas conſervari, palamque collocari juſſit, quod Theophilus Alexandriæ Præſul Imperatoriis mandatis obtemperans laudabili ſtudio, ac diligentiâ geri, & perfici curavit. *Hanc poteſtatem nactus Theophilus* (inquit Socrates lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 16.) *plurimus in eo erat, ut Gentilium myſteria ignominiæ exponeret, & Mithrion quidem repurgavit, Serapion verò ſubvertit: Mithrii myſteria homicidiorum gratiâ deteſtanda publicè oſtentavit: Serapidis verò, & aliorum planè ridicula oſtendit, Priapos per medium forum aſportari jubens.* (Et deinde) *Subverſa ſunt itaque Templa, ſtatuæ verò in ollas, & alios Alexandrinæ Eccleſiæ uſus, Imperatore Deos ad ſuſtentandos pauperum ſumptus largiente. Cunctis itaque Diis confractis Theophilus unam ſtatuam cujuſdam Dei integram ſervari juſſam publicè proſtituit, ne temporis progreſſu Gentiles tales ſe Deos adoraſſe negarent: quam rem Ammonium Grammaticum vehementer moleſtè tuliſſe ſcio dicentem, quod ſtatua illa non eſſet una cum aliis conflata, ſed ad deridendam Gentilium religionem ſervata.* Audiendus quoque Sozomenus ſimilia narrans lib. 7. ejuſdem Hiſt. Eccleſ. cap. 15. *Sub id temporis Alexandrinus Epiſcopus Templum Bacchi, quod Alexandriæ erat, in Eccleſiam mutavit. Dono enim illud ab Imperatore petitum acceperat. Expurgatis autem ſimulacris illius, & adytis apertis, datâ operâ Paganorum myſteriis illudebat, & ſpectacula illa, Priapos etiam, & ſi quid aliud in illorum adytis*

abſconditum erat, quod ridiculum eſſet, vel videretur, proponebat, ac in publicum oſtentandi gratiâ proferebat. Si tantam Catholicæ Religioni utilitatem ſolo aſpectu fœdæ illæ imagines attulerunt; quidni haſce noſtras deformes priſcæ Idolatriæ reliquias proferre licebit? quæ ridiculas veterum Paganorum nugas, & ſupeſtitiones riſum meritò concitantes proponunt. Sed diutius in iſtis immorati ſumus, nunc ad brevem, & modeſtam imaguncularum expoſitionem progrediamur.

TABULA PRIMA.

PRiapum præDiis cunctis venerabantur Lampſaceni teſte Pauſaniâ in Bœotic. Libero patri è Venere genitum dictitantes. Scribit Iſidorus lib. 8. Orig. cap. 11. illum è Lampſaco Helleſponti Civitate, ubi natus erat, ob nimiam pudendorum magnitudinem pulſum, quorum deformitatem tantam fuiſſe narrat Lactantius lib. 1. ut inter eum, & Sileni Aſinum pro illorum magnitudine ortum fuerit certamen, unde vocatur à Columella Deus terribilis membri. Hortis præeſſe credebatur propter eorum fœcunditatem, quia horti numquam ſunt ſine aliquibus fructibus, eaque de cauſa in illis ponebatur Ithyphallus, ut docet idem Columella in Carmine de hortis.

. . . . . *Sed truncum forte dolatum*
Arboris antiquæ numen venerare Ityphalli.

Credebatur etiam fures ab illis arcere, necnon aves fugare; hinc Virgilius lib. 4. Georgic.

Et cuſtos furum, atque avium cum falce ſaligna
Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.

Sic apud Catullum ep. 20. Populeus Priapus.

Ego hæc, Ego arte fabricata ruſticâ,
Ego arida, o viator, ecce populus
Agellulum hunc, ſiniſtrâ tutè quem vides
Herique villulam, hortulumque pauperis
Tuor, malaſque furis arceo manus.

Horatius quoque lib. 1. Satyr. 8. Priapum Deum cuſtodem hortorum ſic inducit loquentem.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:

Cùm

Cùm faber incertum ſcamnum, faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum; Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obſcænoque ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa: vetatque novis conſidere in hortis.

Præſes etiam dicebatur generationis, idem enim habebatur cum Sole, Deus autem & Sol, teſte Philoſopho, omnia generant. Ridiculum ſanè, ſed eruditum hujus monſtroſi Dei ſimulacrum aſſervatur in Muſeo Principis Chigii: criſtam Galli habet ille capiti impoſitam, & pendentem è mento, ſtat veretro erecto, dextrâ crumenam tenens, lævâ campanam. Caput ejus criſtatum eſt more Galli, quoniam hoc animal calidæ, & alacris naturæ perhibetur, maximèque ad coitum, & libidinem proclive: Gallinaceum Soli ſacram avem exiſtimatam fuiſſe narrat Pauſanias in Eliac. pr. quod cantu Solis reditum nuntiet. Pudendum ei appoſitum eſt ad denotandam generationem; etenim præſes generatricis facultatis dicitur ille apud Suidam. Campanam ſiniſtrâ manu tenet, quâ fortè innuuntur clamores in Bacchi orgiis fieri ſoliti, unde dictus eſt πρίηπος, quaſi βριήπυος, ideſt, *latè ſonans, clamoſus*; Priapus enim idem cum Baccho, ſiquidem in Bacchanalibus phallum ex collo ſuſpenſum geſtabatur, cujus pompam Melampus in Græciam introduxit, teſte Herodoto in Euterp. Plutarchus lib. de cupid. opum deſcribens ſacram Bacchi pompam amphoram vini cum palmite, hinc Hircum, quem trahebat aliquis, poſt ciſtam nucum, & phallum recenſet. Hujus ſuperſtitionis originem vide apud Euſebium lib. 2. Præp. ev. cap. 1. Arnobium lib. 5. adv. Gent. & Æliam Cretenſem. Crumena, quam hæc imaguncula dextrâ gerit, forſan innuit ſumptus ad Venerem excitandam, proindeque ad generationem neceſſarios eſſe, juxta illud Terentii in Eunuch. *Sine Cerere, & Baccho friget Venus*. Poteſt quoque ad Ovidianam Danaës fabulam referri, nam, ut ait Tibullus lib. 1. el. 5. *donis vincitur omnis amor*. Priapus etiam apud Veteres pro Mercurio, ſiquidem multæ videntur Hermæ virilibus erectis in modum Priapi, at Mercurius crumenam geſtans vulgo repræſentatur. Aurum apud Phœnices erat po-

ten-

tentiæ ſymbolum, ſi fides Georgio Codino de Orig. Conſtant. unde iſti populi Deos ſuos fingebant geſtare aurea marſupia. Αλλὰ δὲ οἱ φοίνικες τοὺς θεοὺς αὐτῶν πλάττουσιν ὑποφέροντας βαλάντια χρυσᾶ. ὡς τῦ χρυσῦ συμβόλου ὄντος δυναστείας.

TABULA II.

PRiapus in numerum Deorum à Græcis translatus Mutinus dictus eſt, teſte Lactantio lib. 1. ſed in baſe cujuſdam imagunculæ caput habentis gallinaceum cum pudendo vice roſtri appoſito nobilior inſcriptus eſt titulus, nempe ΣΩΤΗΡ ΚΟΣΜΟΥ. CONSERVATOR MVNDI. Gallum Soli ſacram avem diximus, Sol autem generatricis facultatis præſes habetur: pudendum gallinaceo capiti appoſitum eſt, quòd homo unà cum Sole ad generationem perficiendam concurrat, juxta illud Ariſtotelis lib. 2. Phyſ. cap. 3. *Homo hominem generat, & Sol*. Et ſic uterque genus humanum ex ſe mortale continuâ generatione, ut loquitur idem Philoſophus lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 2. perpetuum, & immortale reddit, MVNDIque CONSERVATOREM ſe præbet.

TABULA III.

SEquitur aliud Mutini ſimulacrum in ſimilitudinem Hermæ, ſeu Termini Ithyphalis, caprinis auribus, & erectis in fronte cornibus, capite tutulato tæniâque redimito, erecto veretro, utrâque manu latera comprimentis. Deos omnes ad Solem referri, docet Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 19. Hermiſque, ſive Mercurii ſimuiacris ſtatu quadrato figuratis, erectis virilibus, ſoloque capite inſignitis ſignificari Solem mundi eſſe caput, & rerum ſatorem, omnemque vim ejus non in miniſterio membrorum, ſed in ſola mente conſiſtere; quatuor etiam lateribus innui totidem plagas mundi, aut quatuor vices temporum, vel duo æquinoctia, totidemque ſolſtitia. Mutinum eumdem eſſe cum Sole, & Mercurio diximus. Ejus ſimulacrum tæniâ coronari, ſcribit Tertullianus lib. de Cor. Milit. cap. 7. Modium, ſive tutulum capite ſuſtinet abundantiæ, & fœcunditatis ſignum, quarum præſes credebatur: erat etiam tutulus Genii Tutela-

laris ſymbolum, Priapus autem Genius mulierum habebatur, ſiquidem ejus virilia præcipuè colebant fœminæ ad fœcunditatem ſibi procurandam, phallaque tum ex ære, tum ex auro, vel argento de collo ſuſpendebant, & alia in annulis expreſſa gerebant, quæ paſſim in Muſeis obſervantur. Sic etiam ſponſæ ad avertendum faſcinum ſuper ejus ſcapum ſedere jubebantur, fortaſſis quòd hæc membri difformitas faſcinationem crederetur arcere, ut ait D. Auguſtinus lib. 7. cap. 24. ſive juxta mentem Lactantii lib. 1. ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videretur.

TABULA IV.

SCapus ille Mutini auritus hìc repræſentatur; auris picta apud Horum Apollinem lib. 2. Hierogl. 22. futurum opus ſignificat, Ακοὴ ζωγραφθμένη, μέλλον ἔργον σημαίνει. Opus autem ſponſorum quid aliud eſt, quàm ſobolis procreatio, quæ hanc obſcœnæ ſuperſtitionis cæremoniam proximè ſubſequebatur.

TABULA V.

EN aliud ridiculum ſaltatriculi Priapi ſignum utrâque manu crotala geſtantis, ad quorum ſonum ſaltat ille laſcivos edens geſtus more Gaditanorum, ut loquitur Martialis; ſic etiam Virgilius in Copa.

Criſpum ſub Crotalo docta movere latus.

Crotalum propriè erat ſciſſa arundo, quæ manibus quaſſa ſonabat: peculiare fuiſſe hoc inſtrumentum Priapi feſtis, docet idem Virgilius in Priap.

Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adducta tympana pulſa manu.

Antiquum marmor in Romanis Antiquitatibus vulgatum mulierem ſaltatriculam exhibet crotala geſtantem: Crotaliſtriæ dicebantur fœminæ his inſtrumentis utentes, quæ vulgò in conviviis, ac commeſſationibus admittebantur ad recreandos, & exhilarandos tum ſonis, tum ſaltationibus convivarum aures, & oculos, de quibus conſule Juvenalem, & Martialem.

TA-

TABULA VI.

MEmbra genitalia apud Veteres præcipuè colebantur, ſi fides Euſebio lib.2. Præp. Ev. cap.2. quoniam ad generationem neceſſaria ſunt, & per ea ſpecies animantium conſervantur, & propagantur: unum hic exhibetur τὸ πέος παρὰ τὴν ἐργασίαν ἀναγαθὲν ἔχον, alàtum quidem, quòd ad generationem perficiendam ſit paratum, per alas enim forma quædam omnium penetrativa, ut loquitur Kircherius, ſeu velox generatricis facultatis potentia indicatur. Luna creſcens phallico imminet capiti eâ ratione, quòd illa, teſte Macrobio lib. 1. in ſomn. Scipion. cap. 11. *ſit mortalium corporum & author, & conditrix: adeò ut nonnulla corpora ſub luminis ejus acceſſu patiantur augmenta, & huic decreſcente minuantur.* Quam ſententiam Clemens Romanus Pontifex lib. 8. recognit. ad Jacob. fratrem Domini confirmat his verbis. *Similiter autem & Lunæ curſus, atque hæc, quæ imperitis videtur inordinata permutatio, incrementis frugum, & pecudum, omniumque animantium commoda eſt: augmentis enim ejus, detrimentiſque mirâ quadam providentiæ arte omne, quod gignitur, alitur, & creſcit.* Luna quaſi alter Sol minor, juxta mentem Ariſtotelis lib. 4. de generat. Animal. cap. 10. conducit ad omnes generationes, & perfectiones. Omnem corporis humani ſubſtantiam ad poteſtatem Lunaris Numinis pertinere ſcribit Firmicus Maternus, cuncta enim animantia corpora & concepta procreat, & generata diſſolvit.

TABULA VII.

ELegantem hanc Lucernam imaginem alati penis habentem Soli, Baccho, Iſidi, Mercurio, & Matri dicatam fuiſſe non abſurdum erit dicere. Soli, quia præſes habetur generationis, ut diximus; alæ autem velocem generatricis facultatis potentiam indicant. Baccho propter phallum in ejus pompa præferri ſolitum, de quo ſupra. Iſidi ob hiſtoriam pudendi Oſiridis à Plutarcho in Opuſculo de Iſ., & Oſir. & à Diodoro lib.1. cap.2. relatam. Mercurio, quia, ut docet Plotinus En.3. lib.6. cap. 19. Veteres hunc Deum virilibus

libus erectis repræsentabant, indicantes virum sapientem fœtus scientiæ in animis auditorum doctis sermonibus generantem; verba autem apud Homerum Odyss.lib.1. vers.122. dicuntur alata, unde hoc veretrum alis præditum exhibetur. Ex quibus conjectare licet hanc Lucernam arsisse vel in aliquo Mercurii delubro, vel in tumulo cujusdam viri sapientis: quod etiam de Marte, & homine bellicoso dicendum, siquidem antiquitus membrum genitale erat symbolum magnanimitatis, si credendum Valeriano lib. 34. illudque obeliscis, columnis, aliisque monumentis insculpebatur. Sed quidni credere liceat hujuscemodi Lucernam in aliquo Veneris lasciviæ Deæ Fano, vel in Lupanari suspensam fuisse? Etenim Lucernæ in Lupanaribus accensæ prostitutas hìc esse mulieres indicabant; quia, ut scribit eruditiss. Lipsius lib. 1. Elect. cap. 3. sub vespera tantum horâ videlicet diei nonâ Meretricibus corpore quæstum facere licitum erat. Hunc Lucernarum in postribulis accensarum morem, confirmat Tertullianus lib. 2. ad Uxor. loquens de Christiana muliere ab Idolatris ad libidines provocata. *Procedet de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Quæ consuetudo Lucernas ritu ethnico publicè accendendi Canone XXXVII. Concil.Eliberitani prohibetur. *Ne Lucernas publicè accendant Fideles.* Perpetuam & inextinguibilem fuisse hanc Lucernam patet ex unico ejus foramine proculdubio papyro ardenti destinato, unde illam vel in delubro suspensam, vel in tumulo positam fuisse autumo.

Mens erat Sectionem aliam *De antiquis rebus sacris* his septem præmissis subtexere; sed cùm Joannes Ciampinus in suo libro *De Azymo & Fermentato* tria *De sacris profanisque Calicibus, De sacris Indumentis*, necnon *De sacrarum Imaginum usu, earumque veneratione* Opuscula quamprimùm edere polliceatur; ne videar eadem hìc proponens viro summæ doctrinæ rei novitatem auferre, eruditiori ejus calamo locum, ut par est, libenti animo cedens taceo.Munus profecto adimplevit Cl.Canonicus Jo. Marangonus in suo peculiari libro vernacula lingua exaratum *De i Riti Gentileschi trasportati ad uso Christiano*.

TABULA VIII.

PRæclarum vas caput equinum vice tubuli referens Neptuno dicatum fuit, ejus ſacrificiis forſan inſervitum, ſiquidem primus ille domuit equos, reique equeſtris ſcientiam tradidit, teſtibus Diodoro lib. 6. & Pauſania in Arcadicis, unde ἱππιος dictus eſt. Tertullianus lib. 1. de ſpectaculis cap. 9. *Neptunus equeſtris eſt, quem Græci Hippion appellant.* Equum de Terra Neptuni tridente percuſsâ proſiluiſſe narrat Virgilius lib. 1. Georgic.

Fudit equum magno tellus percuſſa tridenti
Neptuno.

Ad ejus autem currum maria ſulcantem equos jungit Orphæus in hymnis.

Κομοθαλὴς, χαριτῶπα, τεθρόορον ἅρμα διώχων.
Quadrijugum impellens currum ſummo æquore labens.

Duplex hujus Dei munus recenſet Homerus pariter in hymnis, navigantium ſcilicet, & equorum curam habere.

Διχθά τοι Ἐννοσίγαιε Θεοὶ τιμὴν ἐδάσαντο,
Ἵππων τε δμητῆρ ἔμεναι, σωτῆρά τε νηῶν.
Dupliciter tibi ô Terræ motor Dii honorem diviſerunt
Equorumque domitorem eſſe, ſervatoremque navium.

TABULA IX.

VAs æneum elegans ſanè, eruditiſque inſculptum imaginibus Priapo, Deiſque agreſtibus dicatum fuit: Satyri arrectis acutiſque auribus inſtructi, & Fauni hederâ coronati capita in una parte exhibentur, quibus intermedius puer dextrâ ciſtam tenet fructibus refertam, ſiniſtrâ funem, cui canis alligatus. Canis alter dormiens humi jacet: anſer alis expanſis volatum videtur tentare. Partem vaſis gyrum ineuntem occupant arbor, & teſtudo. Satyri, Faunique Priapo, qui juxta Suidam idem cum Libero Patre, ſeu, ut placet Diodoro Antiquit. lib. 4. cap. 6. Liberi, & Veneris filius, comites aſſignantur à Strabone p. 1. lib. 10. fortè ob eorum ſalacitatem, ſiquidem Satyros quaſi Sathunos dictos, quòd ſint in libidinem proni, docet Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 8.

πα-

παρὰ τὴν σάθην, *quod membrum virile declarat veluti ſathunum.* Scribit Euſebius præp. Ev. lib. 3. c. 11. Satyros venereæ virtutis impetum oſtendere. ὥσπερ αὖ τῆς εἰς εφροδίσια ὀρεθιζούσης ἀρμῆς διὰ τῶν σατύρων. *Quemadmodum etiam impetus, qui ad Venerem extimulat, Satyrorum effigie ſolet exhiberi.* Faunus Pici filius, ſeu Mercurii, teſte Plutarcho, pater fuit Faunorum, & Satyrorum, ac reliquorum agreſtium Numinum. Oraculum habuit in Albunea Laurentinorum ſilva; feſtum autem ejus celebrabatur Romæ Non. Decembris, eique utpote uni ex Diis ſiniſtris ſacrificabatur, nè læderet. Horatius Car. lib. 3. Od. 18. ad Faunum.

Ludit herboſo pecus omne campo,
Cum tibi nonæ redeunt Decembres:
Feſtus in pratis vacat otioſo
Cum bove pagus.

Faunos, & Satyros ſemideos vocat Ovidius Metam. lib. 1.

. . Semidei ſunt ruſtica Numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Silvani.

Puer ſeu juvenis Faunus fortè Cypariſſus Silvani amaſius primitias fructuum Priapo offerre: is enim hortorum, & pomariorum Deus, & cuſtos habebatur, & repræſentabatur cum falce ad terrendas aves, fureſque arcendos, juxta Virgilium Georg. lib. 4. & Tibullum lib. 1. el. 1. Unde canes eidem aſſiſtunt, animalia Laris ſive domeſtici, ſive compitalis ſymbola, ut docet Ovidius lib. 5. Faſtorum. Canes placandis Numinibus hoſtiarum vice immolatos, ſcribit Plinius lib. 29. cap. 4. Pro frugibus quoque, & pecoribus lactenti catulo ſacrum convenire, narrat Gyraldus Syntagm. 17. Anſer naturæ adeò calidæ eſt, ut liquidis, ac frigidis cibis delectetur, & quacunque ille oletum ſuum ſparſerit, adurere omnia ſoleat. Homerus in ſomni præſagitione per anſeres procos innuit, eorumque erga homines amoris exempla, recenſet Plinius lib. 10. cap. 22. de anſeribus. *Quin & fama amoris, Argis dilecta forma pueri nomine Oleni, & Glauces Ptolomæo regi cithara canentis, quam eodem tempore & aries amaſſe proditur. Poteſt & ſapientiæ videri intellectus iis eſſe. Ita comes perpetuo adhæſiſſe Lacydi philoſopho dicitur, nuſquam ab eo, non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digreſſus.* Populus arbor Herculi

ſacra, quâ Bacchum coronatum, deſcribit Athenæus lib. 3. Populi coronas Bacchantibus tribuiſſe veteres narrat Cartarius. Teſtudo animal frigidum ſegnitiem, atque tarditatem indicat, unde jocoſum illud Plauti dictum. *Teſtudineum hunc tibi grandibo gradum, ſi fuſtem ſumpſero.* Quid autem plus ad otium, & ſegnitiem confert, quam Bacchi, & Veneris conſortium? Phidias Veneris ſimulacrum Eleis ex auro, & ebore confecit teſtudinem, altero pede prementis, teſte Pauſania. In altera vaſis parte Priapus erecto veretro ſuper menſam poſitus eſt, cui Satyrus dextrâ fiſtulam porrigit, lævâ hircum cornu trahens, juxta Plutarchum ſacram Bacchi pompam in lib. de cupidit. opum deſcribentem: arbori ſupervolitat aquila; Faunus canem attentè audientem alloquitur. Priapus brachiis videtur orbatus adinſtar Termini, ut vulgò ſculpebantur Mercurii ſtatuæ eam ob cauſam, ſi fides Servio ad lib. 8. Æneid. quod Arcades illum de furto accuſatum, & convictum manibus detruncatum expulerunt; ideoque Cyllenius dictus eſt, quaſi κυλλὸς *mancus*. De Satyris ſupra egimus; hi omnes admodum auriti, cornigeri, & capripedes; aliqui erecto veretro ob ſalacitatem, & veneream propenſionem repræſentabantur. Narrat Ælianus Crathin quemdam Sybaritam concubuiſſe cum capra, & inde natum puerum caprina habentem crura, & humanam faciem, qui in Deorum numerum relatus eſt. Fiſtulam ab hircipedibus ſonari ſolitam, docet Martianus Capella, quam Sileno inventori tribuit Athenæus lib. 5. Hircus Baccho immolabatur, quòd vites arroderet. Auctor eſt Varro lib. 1. de R. R. cap. 2. cui aſſentitur Martialis lib. 3. ep. 3. Hoc animal libidinis affectum notare, ſcribit Valerianus lib. 10. quòd in libidinem, & procacitatem adeò ſit immodicum, ut ſeptimâ, poſtquam natus eſt, die Venerem aggrediatur, teſte Æliano; unde hieroglyphicum eſt fœcunditatis. Hircinum caput Oſiridi aptabant Ægyptii; & Venerem hirco inſidentem deſcribit Pauſanias. De cane ſuprà diſſeruimus: in canicula, quæ ſtella in medio cœli centro poſita eſt, Solis calor duplicatur. Aratus in phœnom. de cane.

Cum tetigit Solis radios, accenditur æſtas,
Diſcernitque, ortu longè ſata vivida firmat.

Aqui-

Aquila prosperitatis, & Imperii omen fuit: interdum rapacitatem denotat. Per Aquilam rem maximæ velocitatis ob summam illius pernicitatem intelligendam asserit Kircherius Obel. Pamph. lib.2. pag. 122. Hunc volucrem Jovem sortitum, quòd altius cunctis volantibus evolet, & penè inter omnes principatum teneat, solaque avium Solis radiis non terreatur, donec Aratus in phœnom: Nunc ad brevem idealis hujus lectionis conceptum deveniamus. Priapus, qui idem cum Sole præses generationis habebatur: Satyri impetum, qui ad Venerem extimulat, id est, ad generationem perficiendam indicant, seu vim illam spiritalem cuncta pervadentem, quam Silenis tribuit Porphyrius apud Eusebium præp. ev. lib. 3. cap. 11. Satyros autem provectioris ætatis Silennos nuncupatos fuisse scribit Pausanias. Fistula septem compacta calamis septem planetarum harmoniam, seu tot cœlestium sphærarum motus designat, quibus Solem moderatorem natura constituit. Auctor est Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 19. Hircus, quem ab Ægyptiis deificatum, sicut a Græcis Priapum narrat Diodorus apud Eusebium præp. ev. lib. 2. cap. 1. ob immoderatum generationis appetitum symbolum est fœcunditatis, quâ Sol terram per arborem significatam gravidat. Aquila velocem Numinis Solaris in mundos sensibiles impulsum denotat. Per anserem, & testudinem perfecta calidi, & humidi mediocritas ad generationem perficiendam necessaria innuitur. In signo Canis Sol maximam vim obtinet, fructusque suo calore maturat, quod per puerum cistam pomis refertam dextrâ gestantem, lævâ canem trahentem significatur.

TABULA X.

MEmoriam defunctorum vulgò commendavere inscriptiones monumentis insculptæ, in quibus eorum nomina, ortus, familiæ, & officia prodebantur juxta Tibullum lib. 3. el. 2.

Atque hæc in celebri carmina fronte notet.
Lygdamus hic situs est.

Urnæ tamen sepulchrales, quarum explicationem suscipimus,

mus, inſcriptionibus carent: mirum hoc, cùm ex anaglyptis florentem ſculpturam indicantibus eaſdem viris, ſeu mulieribus conſpicuis inſerviiſſe appareat.

Prior quatuor currus variis ſymbolis onuſtos quatuor Numina indicantes exhibet: primus Apollini dicatus eſt, ſiquidem Gryphos ejus currui ſuccedere finxerunt Veteres. Claudianus.

At ſi Phœbus adeſt, & frænis Grypha jugalem
Riphæo tripodas repetens detorſit ab axe.

In nummo argenteo Gallieni Gryphus inſculptus viſitur cum epig. APOLLINI CONS. AVG. & ipſe Deus Grypheneus dictus eſt. De hoc animale fusè diſſeruimus Sect. 5. Tripodem, & Lyram Apollini convenire nemo neſcit: vas gutto ſimile fortè huic Numini peculiare eſt, in quo humor rerum procreationi neceſſaria includitur ad ſignificandum Solem, qui idem cum Apolline, terrenæ fœcunditatis eſſe auctorem, ut docet Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 18. diurno ſuo calore nocturnos humores moderantem; unde ipſe temperatio mundi dicitur apud eundem Macrobium in ſom. Scip. lib. 1. eâ ratione, quòd *non ſolùm terram, ſed ipſum quoque cælum, quod verè mundus vocatur, temperari Sole certiſſimum eſt*. Per uniones currui ſuperpoſitas indicatur vis Solaris marinis, & terrenis productionibus concurrens.

Sequitur Bacchi currus cum Pantheris eidem alligatis. *Panthera Bacchi ſymbolum*, ait Philoſtratus Imagin. lib. Πάρδαλις τοῦ Θεοῦ σύμβολον. quòd illa venationibus, & vino gaudet, ſcribit Oppianus lib. 4. de Venat. Tigres quoque huic Deo tribuerunt Veteres, quia nullum eſt tam immane, ferumque ingenium, quod vino non manſueſcat. Horatius lib. 3. od. 3.

Hæc

Hæc te mærentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres indocili jugum
Collo trahentes.

Vas, ferulæ, & ciſta myſtica Libero patri conveniunt: in orgiis ciſtæ cum incluſo Serpente geſtabantur ab hominibus albo veſtimento indutis cum clavo purpureo. Tibullus lib. 2. el. 8.

Et tyriæ veſtes, & dulcis tibia cantu,
Et levis occultis conſcia ciſta ſacris.

Serpentem Bacchicorum orgiorum ſignum declarant Clemens Alexandrinus in Protreptico, & Arnobius lib. 5. quem ritum ab Ethnicis Ophitas hæreticos accepiſſe narrat Epiphanius lib. 1. contra hæreſes. *Ophitæ hæretici Serpentem in ciſta aſſervabant, eumque in Templo adorabant, oſculabantur, & panes præbebant.*

Cervæ peculiariter Dianæ fuerunt dicatæ, quas hujus Deæ currui alligatas deſcribit Callimachus in ejus hymno Guillelmus du Choul nummum æreum Philippi profert cum Cerva in averſa parte, & epigr. DIANAE CONS. AVG. Similem Gallieno tribuit Comes Mediobarbus. Cervam Dianæ ſacram auratis cornibus inſignem ad Oenoen poſitam narrat Apollodorus lib. 2. ἦν ἡ ἔλαφος ἐν Οἰνόῃ χρυσόκερως Ἀρτέμιδος ἱερή. In feſtis Elafeboliis menſe Februario celebrari ſolitis Cervas eidem immolabant Athenienſes. Hæc Dea non ſuccincta uti.

Montium cuſtos, nemorumque virgo,

Sed tanquam Lucifera, ſtolâ talari induta inter duas faces vehitur curru, in quo pharetra, Genio alato arcum gerente. Ejus ſtatuas facem geſtantes deſcribit Pauſanias in Arc. & Phoc. quæ illi convenit, non ſolùm ob matutinas, ſerotinaſque venationes, in quibus faces adhiberi teſtatur Oppianus lib. 1. de Venat. verùm etiam quòd lucifera ſplendorem ſuum in circumfuſum aerem emittat, eumque illuſtret maximè in plenilunio. Eamdem eum Luna aſſerit Cicero lib. 2. de Nat. Deor. *Dianam autem, & Lunam eamdem eſſe putant.* Et mox. *Luna a lucendo nominata ſit: eadem eſt enim Lucina. Itaque ut apud Græcos Dianam, eamque luciferam, ſic apud noſtros Junonem lucinam in pariendo invocant: quæ eadem Diana omnivaga dicitur, non a venando, ſed quòd in ſeptem numeratur tanquam va-*

vagantibus. Diana dicta, quia noctu quaſi diem efficeret. Sic etiam Horatius in carmine ſeculari ad Apollinem, & Dianam. lib.4. od.6.

Ritè Latonæ puerum canentes,
Ritè creſcentem face noctilucam,
Proſperam frugum, celereſque pronos
Voluere menſes.

De ſolemnibus hujus Deæ ſacris in luco Aricinio Idibus Auguſti cum facibus celebrari ſolitis diſſeruimus Sect. 1. Arcus, & pharetra inſtrumenta ad venationem neceſſaria, & Dianæ propria. Virgilius lib.1. Æneid.

Exercet Diana choros, quam mille ſecutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades, illa pharetram
Fert humero, gradienſque Deas ſupereminet omnes.

Et Horatius in eodem carmine ſeculari.

Deliæ tutela Deæ, fugaceis
Lyncas, & Cervos cohibentis arcu.

Cervæ ad velocem Lunæ motum alludunt; quippe quæ viginti octo propè diebus ſuum curſum conficit: & ſicuti hæc animalia longiſſimâ gaudent vitâ, ita Lunæ æternitatis ſymbolo conſecrata ſunt.

Currus Mercurii ultimum locum obtinet; aries huic Deo dicatus erat juxta Heſiodum in Theogonia, & viſebatur apud Corinthios Mercurii ſimulacrum cum ariete, quòd ipſe crederetur greges cuſtodire, eorumque proventus adaugere. Extabat apud Tanagræos aliud ejuſdem Numinis ſimulacrum arietem humeris geſtantis ob peſtilentiam urbe expulſam arietis expiatione, quem ille circum mœnia humeris geſtaverat, unde κριοφόρος dictus eſt, *quaſi arietem ferens*; in cujus facti memoriam quotannis formoſiſſimus juvenis ex civitate delectus hoc animal circa muros ſolenni pompâ humeris ferebat. Vide Pauſaniam in Bæot. & Valerianum lib. 10. Mercurius in ariete collocatus juxta Aſtrologos orationis promptitudinem largiri credebatur. Commercio, & lanificio præſidebat; & quòd hominibus ad lucra in auctionibus, & mercimoniis conſequenda valdè utilis crederetur, ἐριούνιος ἑρμῆς κερδῶος dictus eſt, *lucri auctor*, & ab Orphæo κερδέμφορος nominatur: ἐμπολαῖος etiam *negotiator* vocatur, uti legitur in ve-

veteri inſcriptione Metis reperta, & a Grutero pag. 55. relata.

MERCVRIO NEGOTIATORI
SACRVM
NVMISIVS ALBINVS
EX VOTO.

Petaſus alatus ſolitus Mercurii galerus: de caduceo egimus Sect. II. Vas currui impoſitus refertur ad luſtrationem a mercatoribus Idibus Maii fieri ſolitam ſacrificiis in Templo Mercurii prope Circum maximum peractis, ſumptâ in urna hujus Dei aquâ ad portam Capenam, quâ laureo tramite immerſo domi ſe, & merces aſpergebant. Ovidius lib. 5. Faſtor.

Templa tibi poſuere Patres ſpectantia Circum,
Idibus ex illo eſt hæc tibi feſta dies.
Te, quicumque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogant.
Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ,
Si juvat expertis credere, numen habet.
Hic venit incinctus tunicâ Mercator, & urnâ
Purus ſuffusâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda ſit hinc laurus, lauro ſparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos ſunt habitura novos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Et peragit ſolitâ fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit.

Sic etiam Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 12. Sacra hujus Dei refert his verbis. *Contendunt alii Maiam Mercurii matrem menſi* (majo) *nomen dediſſe: hinc maximè probantes, quòd hoc menſe mercatores omnes Maiæ pariter Mercurioque ſacrificabant.* Plura. vide Sect. II.

Hæc quatuor Numina defunctorum memoriæ conveniunt, & non abſque myſterio urnæ ſepulcrali inſculpta ſunt. Mercurius *animarum vector* dicitur ab Apulejo in apolog. & ψυχοπομπὸς ab Artemidoro lib. 8. Onirocritic. ταμίαν τῶν ψυχῶν Quæſtorem animarum a Pythagora nuncupatum refert Lucianus. Audiamus ipſummet Mercurium apud eum-

dem Lucianum cum Maia differentem. ἀλλά δεῖ με ἐπὶ τότε τῷ Πλούτωνι Ψυχαγωγεῖν, καὶ νεκροπομπὸν εἶναι, καὶ παρεδρεύειν τῷ δικαστηρίῳ. *Sed oportet me etiam tunc defunctorum animas Plutoni adducere, maniumque ducem agere, & foro judiciali aſſiſtere.* Horat. hanc virtutem ejus caduceo tribuit Car. lib. 1. od. 10.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: virgâque levem coerces
Aureâ turbam, ſuperis Deorum
Gratus & imis.

Et od. 24.

Quid ſi Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat ſanguis imagini:
Quam virga ſemel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

Hic Deus animas non modo ducere, verum etiam reducere credebatur, ſi fides Petronio Satyric. cap. 100. cui aſſentitur Virgilius Æneid. lib. 4.

Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Sed melius hanc, ut ita dicam, immigrationem deſcribit lib. 6.

Has omnes, ubi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno:
Scilicet immemores ſupra ut convexa reviſant
Rurſus, & incipiant in corpora velle reverti.

Diana, Luna, & Proſerpina ſeu Hecate eadem putabatur, teſte Feſto, unde tricipitem vocat illam Ovidius Metam. lib. 9. Tergeminam Virgilius Æneid. lib. 4. Triformem Horatius Car. lib. 3. od. 22. & Apollodorus lib. de Diis, & triplici facie ſpectabilem Chariclides in catena apud Athenæum Deipnoſoph. lib. 7. eamdem invocando δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε, τρυπρόσωπε. *O hera, reginaque Hecate, triviorum præſes, triformis, triplici facie ſpectabilis.* Triplex itaque poteſtas ei tribue-

buebatur, in cælo, in terris, & apud inferos, quibus præesse credebatur. Virgilius Æneid. lib.6.

Voce vocans Hecatem, cælo, ereboque potentem:

Eaque de causa Domina cognominata fuit, teste Virgilio eodem lib.

Hi Dominam Ditis thalamo deducere adorti.

Dicta est Hecate, juxta Servium, quòd centum victimis placaretur, aut quòd centum annos errare faceret insepultos. Ad illius sacra ab Athenienſibus celebrata alludunt tedæ currui impositæ in secretis misteriis Cereris, & Proserpinæ usurpari solitæ.

Bacchus numen inferum reputatus fuit, & in multis lucernis sepulcralibus insculptus reperitur: hunc ex Jove, & Proserpina natum, canit Orphæus in hymn. Διὸς καὶ περσεφονείης ἀῤῥήτοις λεχέεσσι τεκνωθείς. *Jovis, & Proserpinæ ineffabilibus lectis genitus*. Scribit Diodorus Serapin dici tum Osirin, tum Dionysium, tum Ammonem, tum Jovem, tum Plutonem.

Eumdem esse Apollinem atque Mercurium; docet Macrobius Satur. lib. 1. cap. 19. *Quòd apud multas gentes Stella Mercurii ad Apollinis nomen refertur; & quòd Apollo Musis præsidet: Mercurius sermonem, quod est Musarum munus, impartit.* Plura ibidem diffusè tractantur, quæ lector consulere poterit. Plutonem autem, & Solem, qui ipsissimus est cum Apolline, eumdem esse declarat Apollinis oraculum apud Julianum Imperatorem orat. 4. de quo Sect. 5. art. 3. pag. 114. Solem infernis habitationibus minimè convenire, eumdemque cum Plutone dici non posse testatur nomen ipsiusmet Plutonis, qui ἀϊδὴς à Græcis nominatur, deductum ab à privativa & εἴδω *video* quasi ἐιδὴς *obscurus*, quòd in Inferno omnia sint tenebricosa, unde Virgilius lib. 6. Æneid. Infernas sedes vocat *tristes sine Sole domos*. At nox illa perpetua, & tristis ad locum pœnarum reis destinatum debet referri: siquidem Campi Elysii beatarum animarum sedes suis syderibus puriori splendore micantibus illustrantur juxta Claudianum introducentem Plutonem raptam Proserpinam sic alloquentem. Sic etiam Virgilius eosdem campos describit Æneid. lib. 6. Veterum opiniones circa camporum Elysiorum situm recensuimus Sect. 5. Grypho custodia sepulcrorum credebatur,

cùm

cùm hoc animal ſit vigilans, ſævum, & pertinax, ideòque monumentis ſæpius videtur inſculptum.

Poſterior urna Nereides, Nymphas, & Tritones exhibet, è quibus una galeam, altera ſcutum gerit, ſymbola artem defuncti militarem indicantia. Marina Numina ſepulcris inſculpebantur, quòd Veteres omnia ex humido procreari auctore Thalete, qui teſte Luciano ἀρχὴν δὲ τῶν πάντων ὕδωρ ὑπεδέκατο, & in idem reverti crederent, ſperarentque juxta Pythagoricam μετεμψύχωσιν defunctorum animas ad corpora reverti debere, & ex eodem humore renaſci. De illa animarum immigratione in alterius urnæ expoſitione abundè dictum eſt. Hanc opinionem ſecutus Plato in Phædone Socratem introducit cum Cebete colloquentem, eumque de ſtatu animarum juſtarum poſt mortem, perverſarumque in animalium corpora tranſitu edocentem, quam denuo confirmat idem Socrates apud Ciceronem Tuſcul.quæſt.lib.1. aſſerens nihil aliud eſſe diſcere, niſi recordari. Qui plura volet, adeat Ovidium Metam. lib.15. Senecam lib. 19. ep. 209. & Lucianum dial. de Gallo Pythagoram introducentem varias ſuas transformationes recenſentem.



Apud Illmum Raph. Fabrettum S.J.

In museo Em. Card. Chigij


PRIAPVS
3
Apud M. A. Causeum. De la Chausse




AVRITVS MVTINI SCAPVS
Apud Ill. Raph. Fabertum

PRIAPVS SALTATRICVLVS 5
Apud Io. Petrum Bellorium
S.T.

PHALLVM ALATVM 6



In museo Io. Petri Bellori S.P.



LVCERNA MVTINI ALATI 7.
Apud E.P. Burghesium




VAS ÆNEVM 8
In Thesauro Barberino

VAS ÆNEVM 9

Apud F. de Ficoronis S.J.

CATALOGUS TABULARUM,

Quæ in his Voluminibus continentur.

IN PRIMO VOLUMINE.

SECTIO PRIMA.

Tab. 1. Serapis in Diaſpro rubro.
2. Iſis in Cameo.
3. Iſis in Berillo.
4. Juppiter Ammon in Gemma.
5. Minerva in Cameo.
6. Minerva in Cameo.
7. Minerva ſive Aſpaſia in Cameo.
8. Apollo in Corneola.
9. Æſculapius in Corneola.
10. Hygiea in Corneola.
11. Silenus in Corneola.
12. Baccha in Schedis.
13. Baccha in Gemma
14. Africa in Gemma Sardonica.
15. Solon in Sarda.
16. Socrates in Chalcedonio.
17. Plato in Corneola.
18. Alexander Magnus, ejuſque Mater Olympia in Achate.
19. Lyſimachus in Praſma.
20. C. Cœlius Caldus in Sarda.
21. Gn. Pompejus Magnus in Beryllo.
22. M. Tullius Cicero in Sard.
23. A. Poſthumius Albinus Brutus in Corneola.
24. Gn. Domitius Ahenobarbus in Cameo.
25. C. Julius Cæſar in Corneola.
26. Tiberius in Corneola.
27. Lucius Verus in Corneola.
28. Commodus in Gemma.
29. M. Didius Severus Julianus in Corneola.
30. L. Septimius Severus in Onyce.
31. Elagabalus in Praſma.
32. Julia Sabina in gemma, vulgo Niccolo.
33. Iſis Loto inſidens in Gemma.
34. Iſis inter quatuor elementa in Gemma.
35. Cybele in Gemma.
36. Apollo ex Schedis.
37. Solis quadrigæ in Niccolo.
38. Septem Planetæ in Gemma.
39. Diana Lucifera in Gemma.
40. Venus Verticorda in Achate varicolori.
41. Venus Pelagia in Carneola.
42. Venus Victrix in Vitro.
43. Venus a Tritone vecta in Calcedonia.
44. Bacchus a Centauris vectus in Cameo.
45. Bigæ in Cameo.
46. Amuletum in Helitropio.
47. Mercurius, & Fortuna in Gemma.
48. Mercurius, & Minerva in Gemma.
49. Hercules in Gemma.
50. Ficus Ruminalis in Corneola.
51. Amor, & Centaurus in Corneola.
52. Centaurus in Corneola.
53. Sacerdos Perſicus in Calcedonio.
54. Ganymedes in Gemma.
55. Antinous in Corneola.
56. Mænas in Achate.
57. Meduſæ Capita in Marmore.
58. Silenus, & Satyri in Gemma.
59. Elementorum ſymbola in Corneola.
60. Vaſis ex Achate pars prior.
61. Vaſis ex Achate pars poſterior.
62. Vaſis pars poſterior.
63. Serapis in Praſma.
64. Sapientia in Achate varia.
65. Idolum Ægyptium in Cameo.

SECTIO SECUNDA.

Tab. 1. Jupiter ex ære.
2. Serapis ex ære.
3. Dea Roma ex ære.
4. Bacchus in orbe æreo.
5. Bacchus ex ære.
6. Faunus ex marmore.
7. Satyra, seu Fauna ex ære.
8. Bacchus ex ære.
9. Bacchantes in marmore. *Tab.* 1.
10. Bacchantes. *Tab.* 2.
11. Bacchantes. *Tab.* 3.
12. Cybele ex ære.
13. Ceres ex ære.
14. Neptunus ex ære.
15. Mercurius ex ære.
16. Minerva ex ære.
17. Minerva ex ære.
18. Diana Ephesia ex Schedis.
19. Diana Lucifera ex ære.
20. Diana Triformis ex ære. *Tab.* 1.
21. Diana Triformis. *Tab.* 2.
22. Diana Triformis. *Tab.* 3.
23. Mytra ex marmore.
24. Æsculapius ex marmore.
25. Salus ex ære.
26. Vulcanus ex ære.
27. Fortuna ex ære.
28. Fortuna ex ære.
29. Fortuna ex ære.
30. Abundantia ex ære.
31. Signum Pantheum ex ære.
32 Signum Pantheum ex ære.
33. Harpocrates ex argento.
34. Harpocrates ex ære.
35. Angerona ex ære.
36. Victoria ex ære.
37. Hercules ex ære.
38. Hercules ex ære
39. Hercules ex ære.
40. Canopus ex marmore. *Tab.* 1.
41. Canopus. *Tab.* 2.
42. Canopus. *Tab.* 3.
43. Canopus. *Tab.* 4.
44. Sacerdos Ægyptius ex ære.
45. Ibis ex ære.
46. Camillus ex ære.
47. Pocillator ex ære.
48. Pocillator ex ære.
49. Atys ex ære.
50. Autumnus ex ære.
Tab. 51. Venus ex ære.
52. Venus ex marmore.
53. Narcissus ex marmore.
54. Mithridates Rex Ponti ex marmore.
55. C. Marius ex marmore.
56. Sulla ex marmore.
57. M. Tullius Cicero ex marmore.
58. Nero Citharedus ex ære.
59. M. Aurelius Antoninus ex marmore.
60. Lucius Verus ex marmore.
61. Julia Moesa ex marmore.
62. Julia Aquilia Severa ex marmore.
63. Lictor ex ære.
64. Venatio ex marmore.

TOMUS SECUNDUS.

SECTIO TERTIA.

Tab. 1. Albogalerus, & Apex in marmore.
2. Lituus, & Simpula ex marmore.
3. Præfericulum ex marmore.
4. Vas aquæ lustralis ex ære.
5. Aspergillum, Malleus, cultri ex marmore.
6. Securis ex ære.
7. Cochlear, Secespita, Ligula ex ære.
8. Acerra ex marmore.
9. Thuribulum ex ære.
10. Tripos ex marmore.
11. Tripos æreus.
12. Tripos æreus alter.
13. Candelabrum ex marmore.
14. Discus ex marmore.
15. Sistrum Ægyptiacum ex ære.
16. Sistrum alterum ex ære.
17. Sistrum alterum ex ære.
18. Patera ærea.
19. Patera etrusca ærea.
20. Patera altera ærea.
21. Patera altera ærea.
22. Patera ærea.
23. Patera etrusca ærea.
24. Patera fictilis.
25. Patera ærea.
26. Patera altera ærea.
27. Patera altera ærea.
28. Cavea Pullaria ex marmore.

SECTIO QUARTA.

TAB. 1. Instrumenta Musiça Inflatilia. *Tab.* 1.
2. Instrumenta Musica Inflatilia. *Tab.* 2.
3. Instrumenta Musica Inflatilia. *Tab.* 3.
4. Instrumenta Musica Tensilia. *Tab.* 1.
5. Instrumenta Musica Tensilia. *Tab.* 2.
6. Instrumenta Musica Tensilia. *Tab.* 3.
7. Instrumenta Musicorum Pulsatilia. *Tab.* 1.
8. Instrumenta Musicorum Pulsatilia. *Tab.* 2.

SECTIO QUINTA.

TAB. 1. Lucerna Christianorum fictilis.
2. Lucerna Christianorum ex ære.
3. Lucerna Christianorum ex ære.
4. Lucerna Christianorum ex ære.
5. Lucerna BB. Petri, & Andreæ ex ære.
6. Lucerna Jovis ex ære.
7. Lucerna Vestæ ex schedis.
8. Lucerna Solis ex ære.
9. Lucerna Ledæ ex ære.
10. Lucerna Ledæ, & Europæ.
11. Lucerna Palladis ex ære.
12. Lucerna Neptuni ex ære.
13. Lucerna Pegasi ex ære.
14. Lucerna Sileni ex ære.
15. Lucerna Sileni ex ære.
16. Lucerna Veneris ex ære.
17. Lucerna Dianæ Ephesiæ ex ære.
18. Lucerna Panos ex schedis.
19. Lucerna inextinguibilis ex ære.
20. Lucerna Anatis ex ære.
21. Lucerna Cycni fictilis.
22. Lucerna Equitis ex ære.
23. Lucerna Equitis ex ære.
24. Lucerna Platonis fictilis.
25. Lucerna Serpentigerâ ex ære.
26. Lucerna Zodiaci ex ære.

SECTIO SEXTA.

TAB. 1. Vas fictile ex schedis.
2. —— Pars altera.
3. Vasis ænei pars prior.
4. Vasis ænei pars posterior.
5. Vas marmoreum ex schedis.
6. Bulla aurea.
7. Bulla, Armillæ, Fibulæ, Annulus, Clavis ex ære.
8. Tesseræ in marmore.
9. Stylus, Strigiles, Guttus.
10. Phialæ Lachrymatoriæ ex vitro & gemma.
11. Manus æneæ pars interior ex ære.
12. Manus æneæ pars exterior ex ære.
13. Manus æneæ pars intima ex ære.
14. Manus æneæ pars intima ex ære.
15. Aquila legionaria ex ære.
16. Victoria ex ære.
16. Vexillum Equitum ex ære.
17. Dea Roma ex antiqua pictura.

SECTIO SEPTIMA.

TAB. 1. Priapus ex ære.
2. Priapus ex marmore.
3. Priapus ex ære,
4. Auritus Mutini scopus ex marmore.
5. Priapus Saltatriculus ex ære.
6. Phallum alatum ex ære.
7. Lucerna Mutini alati.
8. Vas æneum.
9. Vas æneum alterum.

Omittuntur Numismata, & Anaglypha ad opus illustrandum adducta.

NOMENCLATURA AUTHORUM

QUI IN HOC OPERE CITANTUR.

Ordine Alphabetico.

ABenephius Arabs apud Kircherium. Tom. I. pag. 85.
Ælianus. Tom. I. 11. 12. 15. Tom. II. 84. 97. 113. 120.
Ælias Cretenſis. Tom. I. 53. 140.
Albricus. Tom. I. 33. 52. 70.
Alciatus. Tom. I. 9.
Alexander ab Alexandro. Tom. I. 56. Tom. II. 115.
S. Ambroſius. Tom. I. 22. 48. 70.
Ammianus Marcellinus. Tom. I. 42. 48. 138.
Androcydes apud Clem. Alex. Tom. I. 94.
Angelonus. Tom. I. 103.
Antiſtius Labeo apud Feſtum. Tom. I. 12. 30.
Apollodorus. Tom. I. 17. 46. 59.
Appianus. Tom. I. 30.
Apulejus. Tom. I. 1. 2. 3. 23. 59. 64. 71. 79. 85. 86. 89. 91. 95. 99. Tom. II. 80. 84. 87. 89.
Aratus. Tom. I. 11.
Ariſtophanes. Tom. I. 61.
Ariſtotiles. Tom. I. 98. Tom. II. 100. 102.
Arnobius. Tom. I. 9. 26. 53. 70. 101. Tom. II. 14. 85. 89. 94. 97. 99.
Athenæus. Tom. I. 2. 11. 53. Tom. II. 8.
S. Auguſtinus. Tom. I. 1. 2. 5. 11. 23. 33. 53. 76. 85. 102. Tom. II. 3. 17. 74. 97. 101.
Aulus Gellius. Tom. I. 3. Tom. II. 74.
Auſonius. Tom. I. 13. 29. 53. 62. 78. 79. Tom. II. 7. 11. 72. 80.

Baronius. Tom. I. 92.
Baſilides. Tom. I. 85.
Bellorius. Tom. I. 64. 96. Tom. II. 5. 12. 50. 92.
Beyerlinck in Theatro Vitæ Humanæ. Tom. I. 92.
Boetius. Tom. I. 80.
Budæus. Tom. I. 61.

C. Cæſar. Tom. I. 61. 73.
Cælius Rhodiginus. Tom. I. 5. 9. 10. 14. 18. 61. 62. 74. 93. 96. 100.
Calpurnius. Tom. I. 103.
Camillus Leonardus. Tom. I. 26.
Caninius. Tom. I. 6.
Cardanus. Tom. I. 46.
Caſalius. Tom. I. 96.
Caſſiodorus. Tom. I. 60.
Catullus. Tom. I. 74. 101. 102. Tom. II. 98.
Cenſorinus. Tom. I. 89.
Cheræmon ex Rhodigino. Tom. I. 93.
Chifletius. Tom. I. 96.
Chronicon Euſebii. Tom. I. 2.
Ciampinus. Tom. I. 44. Tom. II. 103.
Cicero. Tom. I. 7. 13. 17. 23. 33. 51. 65. Tom. II. 3. 20. 71. 78.
Claudianus. Tom. I. 55. Tom. II. 91.
Clemens Alexandrinus. Tom. I. 28. 35. 52. 77. 91. 94.
Clemens Roman. Pontif. Tom. I. 2. 77. 116.
Columella. Tom. I. 98.
Coluthus. Tom. I. 28.
Concilium Bracharenſe II. Tom. I. 25.
Concilium Eliberinum. Tom. I. 103.
Conſtantinus Cæſar. Tom. I. 8. 4.
Corippus. Tom. I. 51.
Cornelius Tacitus. Tom. I. 2. 38. 69. Tom. II. 81. 91.
Cujacius. Tom. I. 76.
S. Cyprianus. Tom. I. 3. 20. 52.

Democritus ex Gellio. Tom. I. 89.

Dio Cassius. Tom. I. 18. 51.
Diodorus Siculus. Tom. I. 2. 4. 7. 11. 53. 80. 91. Tom. II. 17. 61. 85. 102.
Diogenes Laertius. Tom. I. 13.
Dionysius Halicarnassæus. Tom. I. 15. 94.

S. Epiphanius. Tom. I. 15. 85.
Eritius. Tom. I. 99.
Euripides. Tom. I. 35.
Eusebius. Tom. I. 1. 4. 53. 54. 65. 66. 72. 84. 85. Tom. II. 10. 16. 81. 88. 93. 99. 102.

Fabrettus. Tom. I. 20. 78.
Fenestella. Tom. I. 3.
Festus. Tom. I. 98. Tom. II. 2. 4. 6. 74. 75. 87. 88. 117.
Firmicus. Tom. I. 64. Tom. II. 17. 82. 102.
Fortunius Licetus. Tom. I. 55. 63. 59. 96.
Frontinus. Tom. I. 44. 45.
Fulgentius. Tom. I. 7. 11. 25. 28. 29. Tom. II. 14. 16. 30. 31. 60. 63.

Galenus. Tom. I. 8.
Georgius Codinus. Tom. I. 31. 60. 61. Tom. II. 16. 100.
Gorius Tom. I. 60. Tom. II. 101.
Gratianus. Tom. I. 2.
Gruterus. Tom. I. 45. 110.
Gronovius. Tom. I. 40.

Heliodorus. Tom. I. 91.
Hermes. *Vide* Mercurius.
Herodianus. Tom. I. 91.
Herodotus. Tom. I. 2. 4. 57. 95. 96. 98. Tom. II. 7. 10. 59. 83. 96. 99.
Hesychius. Tom. I. 68.
S. Hieronymus. Tom. I. 51. 63. 75. 78. 95.
Hippocrates. Tom. I. 9.
Homerus. Tom. I. 14. 103. Tom. II. 7. 29. 71.
Horatius. Tom. I. 7. 57. 72. 78. 99. 103. Tom. II. 13. 98.
Horus Apollo. Tom. I. 83. 86. 88. 92. 101.
Hyginus. Tom. I. 4. 38. 61. 99.

Jamblichus Tom. I. 9. 12. 92. 87. 90.
S. Joannes Chrysostomus. Tom. I. 16. 52.
Josephus. Tom. I. 12.
S. Iræneus. Tom. I. 85.
Isidorus. Tom. I. 2. 4. 53. 61. 72. 80. Tom. II. 2. 3. 9. 13. 16. 93. 98.
Julianus Imperator. Tom. I. 86.
Julius Capitolinus. Tom. I. 19. 78.
Justinus. Tom. I. 55. 93.
Justus Lipsius. Tom. I. 103.
Juvenalis. Tom. I. 3. 18. 21. 39. 73. 95. 97. 100. Tom. II. 8. 18. 73. 74. 75. 79. 101.

Kircherius. Tom. I. 68. 86. Tom. II. 85. 90. 102.

Lactantius Firmianus. Tom. I. 3. 32. 33. 36. 73. 95. 101. Tom. II. 97. 98. 101.
Latinus Pacatus. Tom. I. 79.
Lampridius. Tom. I. 20. 79. Tom. II. 77.
S. Leo Magnus. Tom. I. 24.
Leonardus Augustinus. Tom. I. 96.
Leviticon. Tom. I. 95.
Lucianus. Tom. I. 3. 9. 24. 28. 31. 68. 70. 75. 86. Tom. II. 79.
Lucillius. Tom. I. 80.
Lucretius. Tom. I. 29.
Lylius Girardus. Tom. I. 4. 39. 55.

Macarius. Tom. I. 96.
Macrobius. Tom. I. 1. 2. 3. 4. 9. 10. 23. 24. 25. 61. 64. 67. 68. 75. 76. 77. 81. 84. 85. 98. Tom. II. 11. 14. 15. 17. 74. 81. 82. 85. 86. 100. 126.
Manlius. Tom. I. 12.
Masurius apud Macrobium. Tom. I. 79.
Martialis. Tom. I. 6. 9. 51. 79. 101.
Martianus Cappella. Tom. I. 4. 6.
Menander. Tom. I. 35.
Menetrejus. Tom. I. 64.
Mercurius Trismegistus. Tom. I. 22. 85. 89. 95.
Minutius Felix. 65. 80. 97.
Museus. Tom. I. 29.

Nigidius ex Macrobio. Tom. I. 68.
Nonnus. Tom. I. 101.

Octavius Ferrarius. Tom. I. 74.
Onuphrius Panvinius. Tom. I. 28.

Op-

Oppianus. Tom. I. 55.
Ovidius. Tom. I. 3. 4. 5. 9. 24. 29. 30. 31. 40. 52. 55. 56. 73. 77. 80. 101. 103. Tom. II. 5. 6. 7. 10. 13. 16. 56. 58. 75. 76. 78. 87. 88. 89. 99.
Paschalius. Tom. I. 42.
Paralipomen. II. Tom. I. 7. 9.
Patinus. Tom. I. 99.
Pausanias. Tom. I. 4. 5. 6. 8. 11. 26. 31. 62. 65. 66. 71. 79. Tom. II. 7. 15. 59. 61. 80. 98. 99.
Persius. Tom. I. 74. 78. 80.
Petronius Arbiter. Tom. I. 62. 78. Tom. II. 80.
S. Petrus Chrysologus. Tom. I. 12. 30.
Philo. Tom. I. 63. 99.
Philostratus. Tom. I. 55.
Phornutus. Tom. I. 5. 29. 30. 39. 63. 66. Tom. II. 16. 56.
Pierius Valerianus. Tom. I. 80. 90. 95. 111. 127.
Pignorius. Tom. I. 22. 99.
Pindarus. Tom. I. 8.
Plato. Tom. I. 86.
Platus. Tom. I. 9. 35. 61. 71. 74. 81. 103.
Plinius. Tom. I. 9. 5. 12. 15. 18. 29. 33. 37. 46. 59. 63. 70. 72. 75. 78. 86. 98. 100. Tom. II. 12. 18. 57. 59. 61. 75. 76. 78. 83. 90. 91. 94.
Plotinus. Tom. I. 102.
Plutarchus. Tom. II. 2. 3. 13. 16. 17. 33. 53. 63. 66. 71. 73. 77. 78. 83. 84. 86. 89. 91. 96. 98. Tom. II. 2. 10. 11. 12. 56. 84. 85. 86. 88. 94. 99. 102.
Polydorus Virgilius. Tom. I. 95.
Politianus. Tom. I. 76.
Pompejus. *Vide* Festus.
Pomponius Lætus. Tom. I. 2. 3.
Pomponius Mela. Tom. I. 97.
Porphyrius. Tom. I. 5. 65. 66. 69. 77. 83. 84. 86. 93. 94. Tom. II. 16. 81. 97.
Proclus. Tom. I. 14. 62.
Propertius. Tom. I. 8. 26. 34. 52.
Prudentius. Tom. I. 25. 46. 66. 80. Tom. II. 11.
Publius Victor. Tom. I. 70.
Pythagoras. Tom. I. 95. Tom. II. 56.

Quinctus Curtius. Tom. I. 16.

Ruellius. Tom. I. 81.
Ruffinus. Tom. I. 2. 82. 97.
Rodulphinus Venutus. Tom. I. 103.

Sanchunniathon ex Eusebio. Tom. I. 88.
Sedulius. Tom. I. 92.
Seguinus. Tom. I. 65.
Seneca Philosophus. Tom. I. 53. 76. Tom. II. 76.
Seneca Tragicus. Tom. I. 89.
Servius. Tom. I. 3. 59. 91.
Sidon Apollinaris. Tom. I. 89.
Socrates. Tom. I. 97. Tom. II. 97.
Solinus. Tom. I. 32. 97.
Sozomenus. Tom. I. 97. Tom. II. 97.
Spanhemius. Tom. I. 65.
Sponius. Tom. I. 45. 75. Tom. II. 77.
Statius. Tom. I. 5. 60. 68. 69.
Stephanus de Urbibus. Tom. I. 99.
Strabo. Tom. I. 1. 2. 37. 47. 59. 92. Tom. II. 64. 98. 99.
Svetonius. Tom. I. 10. 18. 19. 46. 92. Tom. II. 72. 74. 79. 87. 91.
Suidas. Tom. I. 6. 11. 13. 14. 37. 55. 68. Tom. II. 99.

Taautes apud Eusebium. Tom. I. 72. 88.
Tabula Bembina. Tom. I. 88.
Terentius. Tom. I. 70. Tom. II. 99.
Tertullianus. Tom. I. 8. 22. 24. 52. 98. Tom. II. 31. 52. 64. 83. 91. 92. 100. 101. 103.
Thales. Tom. I. 2. 74. 83.
Theodoretus. Tom. I. 69. 85.
Theophrastus. Tom. I. 3. 22.
Thomassinus. Tom. I. 77.
Tibullus. Tom. I. 2. 8. 10. 31. 35. 36. 51. 52. 55. 78. 83. 98. Tom. II. 6. 12. 18. 69. 99.
Titus Livius. Tom. I. 2. 3. 18. 33. 51. 97. Tom. II. 75. 77. 89. 94.
Trebellius Pollio. Tom. I. 16.
Trismegistus. *Vide* Mercurius.

Vaillant. Tom. I. 34.
Valerius Flaccus. Tom. I. 71.
Valerius Maximus. Tom. I. 13. 14. 16. 17. 74. 88. 94.
Varro. Tom. I. 1. 4. 34. 81. Tom. II. 1.
Vegetius. Tom. I. 90. 91.
Vellejus Paterculus. Tom. I. 17. 18.
Verrius Flaccus ex Macrobio. Tom. I. 79.
Virgilius. Tom. I. 25. 62. 67. 98. Tom. II. 5. 13. 15. 55. 63. 80. 83. 91. 98. 101. 123.
Vitruvius. Tom. I. 63.

Xenophon. Tom. I. 38. Tom. II. 13.

INDEX
RERUM, AC VERBORUM MEMORABILIUM.
Ordine Alphabetico.

A

Abundantia quomodo pingatur. Tom. I. pag. 74.
Acca Romuli, & Remi nutrix. tom. I. 33.
Accipiter Mithræ dicatus. tom. I. 68.
Solis imago. tom. I. 82.
Osiridis symbolum. ibid.
Tutulatus quid denotet? tom. I. 90.
Acerra arcula thuraria. tom. II. 6.
Actæon a canibus laniatus. tom. II. 19.
Hominis effigie servatâ. ibid.
Ædes Barberinæ laudatæ. tom. I. 42.
Æra Thermarum. tom. II. 46.
Quare sic dicta? ibid.
Æsculapius Apollinis, & Coronidis filius. tom. I. 8. 9.
Medicinæ, & divinationis præses. ibid.
A Jove fulmine percussus. ibid.
Immortalis factus. ibid.
Barbatus, cum baculo, & Serpente. ibid.
Laureâ coronatus. ibid.
Cum modio in capite. tom. I. 69.
Idem cum Apolline, & Osiride. ibid.
Ægroti in ejus templo cubabant, quare? tom. I. 9.
Africa qualis, & unde dicta? tom. I. 12.
Diversa monstrorum genera nutrit. ibid.
Quomodo repræsentetur in nummis. ibid.
Alabandenses Cariæ populi. tom. I. 51.
Templum Urbi Romæ fecerunt. ibid.
Alæ Minervæ conveniunt. tom. I. 6.
Victoriæ, & Nemesi tribuuntur. tom. I. 75.
Contemplationem indicant. tom. I. 76.
Tertiam Divinitatis formam innuunt. tom. I. 86.
Quid per illas designetur? tom. I. 86. *tom.* II. 100.
Quare Mercurio datæ? tom. II. 14.
Albogalerus Flaminis Dialis insigne. tom. II. 2.
Alexander Albanus laudatus. tom. II. 80.
Alexander Magnus Ammonis filius creditus. tom. I. 16.
Ejus imagines tanquam amuleta gestabantur. ibid.
Alexander PP. *VII. laudatus. tom.* II. 74.
Amathusia, Pelagia, & Anadiomenes, egredientem Venerem e mari significat. tom. I. 104.
Ammon unde dictus? tom. I. 8.
Idem cum Jove, & Sole. ibid.
Ægyptiorum Rex. ibid.
Fœcunditatis, & generationis Genius. tom. II. 84.
Illius nomen, ut favorabile amuletum gestabatur ab Ægyptiis. ibid.
Ejus cum Olympiade congressus. tom. I. 42.
Amor Deorum fortissimus. tom. I. 35.
Amphora aquæ in sacris Isidis. tom. I. 86.
Vini in Bacchi pompa. tom. I. 53.
Amuletum Minervæ explicatum. tom. I. 31.
Anacreontis magaden triplici heptacordo, & Fidibus una, & viginti instructa. tom. II. 38.
Instrumenta hujus generis ex heptachordo Filiorum Canai descendunt. ibid.
Nec non ex Octachordo, & Decachordo Davidis Psalterio. ibid.
Et Dedicachordo Josephi. ibid.

Anas hyemis symbolum. tom. II. 65.
Angerona silentii Dea. tom. I. 78.
Tutelare Urbis numen. ibid.
Digito salutari ora comprimit. ibid.
Ejus sacra in ara Volupiæ. ibid.
Unde dicta? tom. I. 78. 79.
Animæ vis triplex. tom. II. 12.
Anseris natura, & proprietates. tom. II. 105.
Ejus in homines amoris exempla. ibid.
Antinous Hadriani Amasius. tom. I. 38.
Post mortem deificatus. ibid.
Sub imagine Mercurii. ibid.
Ad instar Harpocratis. ibid.
A Smyrnæis, & Nicomediensibus veneratus. ibid.
Annulus ferreus bellicæ virtutis Insigne. tom. II. 76.
Cum Serapidis imagine. ibid.
Anubis idem cum Mercurio. tom. I. 91.
Inventionis præses. ibid.
Cur canina facie? ibid.
Genius Nili. tom. I. 91.
Genius Averruncus. tom. I. 91.
Apex Pontificis Maximi Insigne. tom. II. 2.
Apis tertius Ægyptiorum Rex. tom. I. 2.
Post mortem Serapis dictus. ibid.
Apollo quare imberbis repræsentatus? tom. I. 7.
Crinitus, & intonsus. ibid.
Acersecomes dictus. ibid.
Sol sive oculus mundi. ibid.
Cur cum cythara? ibid.
Divinationis & medicinæ præses. ibid.
Laureâ coronatus. ibid.
Arcus & Lyra quid denotent? tom. I. 24. *tom.* II. 84.
Idem cum Jano. tom. I. 67.
Venationis inventor. tom. II. 13.
Quasi expellens mala. tom. II. 81.
Aqua rerum omnium principium. tom. I. 2. 96.
Aqua Lustralis. tom. II. 4.
Aquilæ significatio. tom. II. 107.
Aquila Solis altitudinem ostendit. tom. I. 68.
Mithræ consecrata. ibid.
Omen dominationis. tom. II. 55.
Victoriæ signum. tom. II. 55.
Avium Regina, Jovisque armigera. ibid.
Sola avium fulmine non læditur. ibid.
Quare Jovi dicata? ibid.
Totius legionis signum. tom. II. 90.
Aries Mercurio dicatus. tom. II. 110.
Arimaspi unoculi. tom. II. 57.
Cum Gryphis bellum gerunt. ibid.
